COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XIII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXVI.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Salvium.

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar, för Aår 1763. Vol. XXIV. Med Kongl. Academiens Tilſtänt. Tryckte i Stockholm hos direct Lars Salvius, på deſſ egen Koſtnad. 1763. 8. pl. 21. tab. aen. 13.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae, anni 1763. Vol. XXIV.

Trimeſtre primum.

1) PVARGENTIN *de varia quantitate aquae ex coelo deciduae in variis locis.* Deſcribit conſueta ombrometra, et obſeruationes, illorum ope inſtitutas, ita contrahit, vt medium ex illis oriundum et alia quaedam memoratu digna recenſeat. Ita in Carolina auſtrali Americae media pluuiae et niuis altitudo ex 15 annis collecta eſt 41 digitorum decimalium pedis Suecici; annis 1738-1752 nunquam fuit infra 31 digitos, anno 1756 exceſſit 56 digitos. Regiones, quas comparauit, initium faciendo a maxime pluuioſa et pergendo ad minus pluuioſas, hae ſunt: Carolina, Italia, Hollandia, Finnia, Germania, p. 1.

Anglia, Gallia, Suecia. Vpſaliae media altitudo eſt 14, 289 digitorum, tribus vicibus minor Carolinenſi. Habent vero ſingulari prouidentia diuina calidiores regiones plus pluuiae frigidioribus.

p. 15. 2) *Aquae coelo deciduae menſuras* 12 *annis* 1750. 1761 *captas* in compendio recenſet 10. LECH. Oboae in Finnia obſeruationes has inſtituit. Menſuras ponderatione adhibita collegit: ſubiungit ob-
p. 23. ſeruationes oeconomicas, vt: aeſtates feruentes et ſiccas ſequi ſolere lues boum, ſiue animalia aquas inſectis inquinatas biberint, ſiue inſectorum aculeo armatorum ictibus et adeo veneno tunc magis ſubſint, ſiue ſitis deficiente aqua illis plus noceat. Aeſtates, quae humidae, vel quae ſiccae fuerint, et num hae illarum conditiones periodos ſeruent, obſeruationibus, quales iam edit, per longum tempus continu-
p. 24. tis, demum poteſt innoteſcere. Methodum tamen idem cognoſcendi ingenioſam proponit, quae haec redit: cum annuli in arbore transuerſim ſecta conſpicui ab omnibus concedantur annorum arboris numerum deſignare, ſimul vero credibile ſit, humidis aeſtatibus craſſiores annulos accedere arbori, ſiccis minus latos, poterit haec aeſtatum viciſſitudo, annulis numeratis et inter ſe comparatis, dignoſci; ſeligendae vero ſunt arbores in ſicco agro creſcentes, vt pinus, alnus, fraxinus, quercus. Abies, quae in humidis creſcit, inepta eſt huic negotio. Sectio arboris dolabra laeuiganda eſt; ſi non recta axi arboris fiat, ſed obliqua, augetur latitudo annulorum, et quidem in ratione diagonalis quadrati ad latus, ſi planum ſectionis inclinetur angulo 45 graduum magis adhuc, magisque conſpicui adeo
p. 25. redduntur annuli, ſi obliquior fiat ſectio. Ita ſi
1764 caedatur Pinus LINN. Fl. Sv. 788 β annu-

lorum

lorum 320: eam circa annum Chriſti 1444 progerminaſſe colligetur; erunt vero annuli circiter 30, centro, totidemque cortici proximi, aequaliter craſſi. Quae igitur varietas aeſtatum 30, annum 1444 proxime inſequentium, fuerit, hinc non intelligetur, ſed medii inter extremos, quos diximus, annuli, inaequali ſua craſſitie varietatem illam per vnum forte aut duo ſecula monſtrabunt, periodosque, ſi quibus redeunt humidae aut ſiccae aeſtates, detegent; certius adhuc, ſi plures arbores diuerſae aetatis ſimul examinentur, adhibeaturque inprimis cuiusuis arboris latus auſtrale, vbi magis conſpicui creduntur annuli. Tenuiores circa centrum eſſe, hinc ſuſpicatur Noſter, quod arbor adoleſcens in longitudinem quotannis magis, quam in craſſitiem extendatur, donec remotis vicinis, quae illam veluti compreſſerant, craſſities quoque eorum magis augeatur; cur vero idem contingat annulis cortici proximis, hanc rationem reddit, quod, aucta annulorum peripheria, in maius ſpatium circumcirca liquor, quotannis accedens, diffluat. Radices etiam maioris arboris altius in terram penetrant, et eo quidem, quo non pertingunt, quae ex coelo decidunt. Inter pinos huic disquiſitioni aptiſſimae ſunt, quae non confertim poſitae, ſed rariores creuerunt, hincque annulos latiores habent. Aptior adhuc eſt fraxinus p. 26. ob annulorum latitudinem, et quod aeſtatum differentias, radicibus non alte in terram actis, melius oſtendat. Sed rarae ſunt fraxini veteres; vidit tamen Noſter 1748 caedi fraxinum diametri vlnae cum ſemiſſe, annulorum 210. Quercuum annuli latiores ſunt, quam fraxinorum, veterum vero quercuum meditullium ſaepe, inprimis prope radicem, corruptum eſt.

p. 27. 3) *Infantem, qui viſceribus variis extra corpus poſitis vixit*, deſcribit DAVID SCHULZ. Puer, Hebmiae iulio 1762 in lucem editus, ſe viuere per quinque horas, ſolis motibus cordisque pulſu, voce nulla, teſtatus eſt. Cadauer eius cum Noſter examinaret, cor naturalis figurae reperit, ſed integrum extra thoracem egreſſum, ſuper cartilaginem enſiformem poſitum erat, neque ſepto transuerſo neque ſterno perforatis, quae aeque ac coſtae ſanae erant. Apex cordis oblique verſus ſiniſtram partem et verſus ſuperiora directus, auricula dextra reclinata, adiacens hepati. Eleuato corde conſpiciebatur, venam cauam, aortam, et vaſa pulmonalia thoracem ingredi ſub cartilagine enſiformi et tela celluloſa atque ſepti transuerſi parte ſuperiore muſculoſa obuelata, vt cauitas thoracis eſſet clauſa. Pericardium apparebat nullum, accuratiori vero examine detegebatur textura celluloſa, a vaſis magnis orta et hinc ſuper cor explicata; difficulter a ſuperficie cordis ſeparabatur membrana tenuis, cordi accreta, magis celluloſa verſus vaſa maiora. Hepar ſub corde absque ligamento ſuſpenſorio magnum, ouale, reniforme, verſus ſiniſtrum inclinatum. Veſicula fellis parua, ductus vero cholidochus magnus, circa quem hepar adhaerebat duodeno. Funiculus vmbilicalis fere naturalis, ren ſuccenturiatus dexter magnus, extus conſpicuus,
p. 29. inteſtinis nihil e ſitu turbatis. Ventriculus ſub corde, magnam partem ab hepate tectus. Lien inſignis craſſitiei et duritiei ad ſiniſtram ventriculi adhaerens; inteſtina tenuia extra corpus, nuda, omentum enim vix dimidium digitum infra ventriculum porrigebatur, colon extra corpus verſus oſ pubis replicatum, in ſiniſtra parte regionis vmbilicalis rediens in abdomen ad initium inteſtini recti. Apertura, per quam cor cum contentis quibusdam abdo-

abdominis exierat, oui anſerini magnitudine erat, forma fere ouali, ſed tamen ad dextram magis curua, ad ſiniſtram rectiore; incipiebat a cartilagine ſterni, claudebatur ad vmbilicum. Cutis cum peritonaeo concreuerat margine laeui, vt nil rupti aut ſciſſi appareret. Aperto thorace pulmones, pleura, mediaſtinum, ſed id pericardio et corde vacuum, cetera naturalia aeque ac in abdomine renes, veſica, cet. erant. Retulit obſtetrix, cor alternatim ſe con- p. 30.
traxiſſe et flaccidum euaſiſſe ac rurſus adſcendiſſe ſemper in eadem directione. Sinus venae cauae et auricula dextra, exterius poſiti, obiecerunt oculis repletionem ſuam et inanitionem atque ſic et coloribus coeruleo et pallido alternarunt. Motus hic vehemens fuit per tres horas, durauit vero duas horas poſt, cum alia vitae ſigna foetus nulla ederet, immo cum cadauer omnino gelidum eſſet. Etſi motus cordis a perito hic potuiſſet ſpectari, parum tamen ad ſyſtoles et diaſtoles conditionem cognoſcendam potuiſſet colligi ex ſtatu adeo praeternaturali. Subiungit Noſter tres alios caſus cordis p. 31.
extra thoracem penduli, pericardio itidem deſtituti, ſed in eo diuerſos, quod in omnibus cor per aliquem ſterni locum eruperit.

4) *Aluearia et arbores a formicis tueri* docet IAC. BOETHIUS. Reminiſcebatur, cum iuuenis in loco p. 32.
degiſſet, vbi, vere inprimis, frequens piſcatura exercebatur, formicas, rebus a piſcibus deſumtis, vt inteſtinis, ſquamis cet. pelli, ita, vt, ſi in formicarum aceruos pueri talia ieciſſent, ad plures vnas habitationem animalia remouerint. Retia igitur piſcibus ponderandis olim in culina adhibita, vbi adſcendebant formicae, laxius paulo appendit, viditque, cum eo peruenerant formicae, non reuerti ſolum, ſed ſaepius in terram recidere. Similiter arbo-

ros defendit. Poſſunt retia immergi rebus e pi-
bus deſumtis, vt inteſtinis cet. inprimis fortiter
olentibus.

5) *De origine magnarum maſſarum glacialium in oceano boreali natantium* cogitata MICHAELIS
p. 35. LOMONOSOW; ex latino verſa. Glaciei huius tria genera ſunt; primum conſtat cruſta glaciali, friabili, parum pellucida, niui coagulatae ſimili, quae deliqueſcens ſal prodit; ſecundum durum eſt, pellucidum, magnas in moles interdum ad plura miliaria extenſum, vlnas circiter tres craſſum, in aquam dulcem deliquescens, niſi quod, vbi aqua marina alluit, parum ſalſa eſt; tertium informe, montium ſpecie ſeptem aut plures hexapodas ſuper aquam attollitur, quinquaginta ſaepius immergitur, fremitu et exploſionum internarum continuo ſonitu, etiam nocte et e longinquo, cum nondum ſpectatur, ſe prodens, ſal nullum continens, niſi forte a glacie primi generis admixta, aut aqua marina in rimis congelata. Secundum genus, *campos* glaciales vocat (*inſulas* appellaremus), cum tertio, *montibus*, ſaepius colliditur, ſiue quod campi fluctibus et ventis facilius obediant, quam montes profundius demerſi, ſiue quod contrariis motibus aquae marinae ſibi obuiam ferantur. Ita fragmenta vnius ad alterum accedunt, aut maſſae integrae coniunguntur, cet. Sed haec etiam probaturus Noſter aſſerit:
p. 37. primum genus ſolum in mari naſci, ſecundum ex oſtiis magnorum fluminum Ruſſiae in mare glaciale deferri, tertium ad littora maris praerupta naſci. Igitur et in aqua dulci, ſale, quantum marina continet, feta, et in ipſa aqua marina, expertus eſt, nec ſummo frigore glaciem duram et puram fieri, ſed pinguedinis ad modum coagulari, non perſpicuam, et vt erat aqua, adhuc ſalſam. Inde cogitur,

inſulas

inſulas montesque glaciales in mari non generari: vtut vero aperte fluctuant in orificiis magnorum fluminum, vt *Obyi* et aliorum, quae, vbi in mare effunduntur, magnos ſinus ad littora aqua fere dulci replent, montes glaciales fieri coniicit Noſter, vbi ad littus maris praecipites montes hiemali niue teguntur, quae aeſtate defluit in caua forte et valles ad pedes montium, ibique, cum nec aeſtiuus illorum locorum ſol eo penetret, rurſus congelatur, et ſic maſſa glacialis naſcitur, quotannis creſcens, donec mole ſua decidit vel in loca profundiora, vel in ipſum mare, quod magno cum fragore fieri accolae teſtantur. In ipſis vero montibus natantibus fragor eſt a fruſtis glacialibus huc illuc iactis, et ipſa glacie intus, vbi frigus vehementius eſt, quam extus, crepante. p. 39.

6) *De halonibus circa ſolem et pareliis Vpſalae viſi* refert FRID. MALLET, in theoria halonum Hugeniana quaedam mutanda eſſe inde colligens. p. 41.

7) *Araeometrum cereuiſiae examinandae* aptat IAC. FAGGOT in Suecorum inprimis vſum, vt araeometrum ad illorum menſuras et pondera diuidat. Id obſeruandum eſt, ſi recte ſe habeant eius obſeruationes, cereuiſiam et aquam ita miſceri, vt mixti denſitas ſumma ſit denſitatum fluidorum, quae miſcentur, quod non ſemper fieri notum eſt, et a nobis olim *) indicatum. Noſtro vero accidit, vt, cum pollex cubicus Suecicus cereuiſiae ſpiſſiſſimae, quam nanciſci potuit, clarae tamen, ponduſculorum minorum, quae *aff* Sueci appellant, teneret 563; aquae purae 545; mixti ex aequis cereuiſiae et aquae partibus pollex cubicus teneret 554, p. 45. p. 46.

*) vid. Commentar. hor. Vol I. p. 648.

quantum pendent ſimul dimidii pollices cereuiſiae et aquae. Idem confirmant duo reliqua Noſtri experimenta, qui tamen haec, quod notatu digna ſint, non monuit, parum forte cogitans, quod alias mixtione volumina mutentur.

8) *Obſeruationes ad cereuiſiam pertinentes* CAROLI A LINNÉ eduntur, olim iam ſcriptae.

p. 59. 9) *Coelum arſiſſe cum tonitru in Norrlandia occidentali* refert NIC. GISLER. Phaenomena fuerunt ſimilia aurorae borealis, ſed quietae et quosdam ſaltim coeli tractus occupantis; praeter ſonitus tonitru imitantes. Confirmat autem Noſter experientia, auroras boreales quiete certa coeli ſpatia occupantes plerumque praecedere vna die terrae motum.

p. 60. 10) *De angulorum ſolidorum menſura agit* MART. IO. WALLERIUS. Metitur angulum ſolidum Noſter, parte ſphaericae ſuperficiei centrum in eius vertice habentis, quae terminis anguli ſolidi reſecatur.

p. 75. 11) *Ex diario Acad. Reg. Scientiarum* quaedam eduntur. Quaeſtioni, an vtile, quercus ſtantes adhuc decorticare, ſex reſponderunt, alii adfirmantes, alii negantes, ſed nullus ſententiam ſuam idoneis experimentis confirmauit; tria tamen ſcriptorum illorum edidit Academia, de argumento quaeſtionis praefata, quam in annum 1766 duplicato praemio
p. 76. 20 ducatorum proponit. Ad alteram quaeſtionem de erucis, quae arborum pomiferarum flores et folia comedunt, deſtruendis, 11 ſcripta Academia accepit, nullum tamen remedia, quae poſtulabantur, idoneis experimentis nixa propoſuit: igitur etiam aliquot ſcripta edit, quae hiſtoriam inſectorum optime

optime illuſtrant; quaeſtionem denuo duplicato praemio proponit, et alias intra biennium ſoluendas.

Trimeſtre ſecundum.

1) *Barometra quomodo conſtruenda ſint*, vſu pro- p. 97.
prio edoctus praecipit IO. LECHE. Variationes barometri, quae tempeſtatibus reſpondent, alias eſſe aliis anni temporibus notat, et caloris viciſſitudines ſequi, igitur in menſibus calidiſſimo et frigidiſſimo, iulio et ianuario, tales eſſe, quales in nullo alio reperiantur et alias in quolibet menſium, quos diximus; ſed ſimiliter iungi barometri mutationes tempeſtatis mutationibus; in iunio et auguſto; maio et ſeptembri; aprili et octobri; martio et nouembri; februario et decembri, quorum menſium, qui duo in eodem pari nominantur, etiam eosdem caloris gradus habent *). Vidit etiam barometra aeque ampla et aequali induſtria conſtructa, tamen non plane harmonica eſſe, ſed vna forte, aut ad ſummum duabus decimis digiti decimalis Suecici differre. Id tribuit metallis aliis mercurio admixtis, quae ſola deſtillatione poterant ſeparari. Sane aurum, quod aliquando fertur mercurio admixtum fuiſſe, breuiorem columnam mercurii faciet, ſtannum longiorem.

2) *Ob-*

*) TOB. MAYERUS Prof. Gotting. in thermometro 1755 conſtructo ſingulorum menſium calores medios notauit, vbi menſes eodem, quo hic recenſentur modo, iunguntur. Erat is labor ſpecimen conſilii de legibus viciſſitudinum tempeſtatum inueniendis, ab eo Soc. Reg. Scient. Gottingenſi propoſiti; quod recenſuit Cl. KAESTNERUS in *Anfangsgründen der angewandten Mathematik*. Edit. 2. (1765) p. 560.

p. 100. 2) *Obſeruationum meteorologicarum Oboenſium annis 1750-1761 habitarum partem quartam* edit IO. LECHE. Generalioribus his obſeruationibus
p. 104. ſimul ſubiungit barometricas; v. c. altiſſimum eſſe mercurium in barometro ianuario menſe, antecedentibus et ſubſequentibus menſibus altitudinem paullatim decreſcere, minimam eſſe iulio; ſi valde conuexa ſit mercurii ſuperficies in barometro, aſcenſurum, ſi plana aut caua, deſcenſurum: ſi barometri altitudo magna hyeme diu ſubſiſtat, eos, qui tuſſi et pectoris morbis affecti ſunt, peius ſe habere, ſi inſigniter deſcendat, metuere debere, qui haemorrhagiis obnoxii ſunt, et vehementius aegrotare paralyſi aut capitis dolori obnoxios.

p. 107. 3) *Picturae inſititiae quomodo in tabulas marmoreas fiant*, deſcribit EM. SWEDENBORG. Scalpro loca marmoris cauantur, poſt ſpati calce varie colorata ita rurſus explenda, vt figurae quaelibet repraeſententur.

p. 113. 4) *De faſciola inteſtinali, et aliis vermibus a virgine nobili eiectis* refert LAURENTIUS MONTIN. Remediis anthelminticis, vt ALSTONI ex ſtanno praeparato, purgantibus et aquis mineralibus, expulſa eſt inſignis copia muci, vermium partes aut membranae ſemeſae, et vermium plura genera, vt taeniae partes, lumbrici, aſcarides lumbricoides LINN. Syſt. Nat. ed. X. p. 648, faſciolae, tandem aegra conualuit. Inter faſciolas fuit inteſtinalis
p. 114. LINN. ib. p. 649. frequens in piſcibus. Illam ex piſcibus exemtam igni Noſter iniecit, quem aliquoties muco ſuo extinxit, et cui ſaepe 2 minutis diutius reſtitit. Igitur in Hallandia et Smolandia facile intrat corpus humanum, cum ibi multi piſces ex lacubus edantur, minus ſollicite purgati et cocti.

Faſciola

Faſciola viuens ex piſce in ſpiritu mercuriali dimidiam horam vixit.

5) *Solis parallaxin* computat ANDR. PLANMAN, p. 117.
vſus transitu veneris per ſolem 1765; cuius obſervationes plurimas operoſe comparando parallaxin illam inter 8 ſecunda et 8, 5 coercet.

6) *Differentias meridianorum*, quibus in his com- p. 134.
putis vſus eſt PLANMANNUS, examinat et firmat PETR. WARGENTIN.

7) *Inſtrumentum acus magneticae declinationi in-* p. 143.
ueniendae idoneum, etſi non detur linea meridiana, exhibet IO. CAR. WILKE, vtile futurum, ſi vel in itinere non ſatis diu in vno eodemque loco moremur, vel alia impediant, quo minus conſueta methodo declinatio reperiri commode poſſit. Nititur autem methodo altitudinum correſpondentium.

8) *De tenthredinibus illarumque laruis* obſeruata p. 154.
quaedam edit TORBERN BERGMAN. Laruae Noſtro ſunt, quas FRISCHIUS et REAUMUR *erucas falſas* vocant, difficulter a veris, quae in papiliones abeunt, diſtinguendae, quod momentis quibusdam illuſtrat Noſter. Genera ex pedum numero diſtin- p. 158.
guit. *Primi* corpus ſegmenta duodecim habet, pedes carneos ſex, carneos abdominales quatuordecim, duos in extremo corporis; *ſecundo* extremi duo deſunt, *tertio* duodecim ſaltim ſunt abdominales, *quarto* decem, *quinto* pedes omnino nulli, niſi apices quosdam hoc nomine deſignes. Iam ſpecierum quarundam ſingularia deſcribit. In be- p. 159.
tula et alno reperitur quinti generis, folia filis in cylindros conuoluens, ſimul inhabitans et comedens. In aliud folium progreſſum, vt dorſo incumbit, inſtrumen-

ſtrumento filatorio ſub ore poſito fila trahit, quorum ope apices, quos pedum loco habet, et corporis ſegmenta in auxilium adhibet, ſuper dorſo in aliud folium promouetur. Si vero exemta cylindro ſuo tabulae imponatur, fila ducere non tentat, ſed
p. 161. abdominis et capitis ope qualicunque ſerpit. Duae ſpecies materia, per poros earum exſpirante, teguntur, altera velut farina, altera velut lana, ſed foliorum ad modum diſpoſita. Eae vero ipſa fere die, qua metamorphoſi vltimae ſubeundae locum idoneum quaerunt, cutem deponunt graminis ad modum virentes, oculis et dentibus nigris, nullo lanae aut farinae veſtigio ſuperſtite. Pellem ſaepius deponunt et vt videtur multo facilius veris erucis.
p. 168. Immo ex ore aliquid ſimul educunt, quod inteſtinorum quaedam tunica eſſe videtur. Modum, quo tenthredines oua inſerant foliis, vt laeſionis veſtigium nullum obſeruare potuerit REAUMURIUS,
p. 174. diſtinctius cum viderit, enarrat. Epidermidis folii particulam ita tollunt, vt aliquo adhuc extremo adhaereat folio, hoc facile cognoſcitur, ſi ouum recens eiectum conſideratur; ſed vbi ſiccata ſunt omnia, iungitur rurſus folio particula epidermidis et apertura, quae fuerat, occluditur, ſine dubio a liquore cum ouo ſimul ex animalis corpore exeunte.

Trimeſtre tertium.

p. 177. 1) *Obſeruationum thermometricarum ann.* 1750-1761 *Oboae habitarum compendium* edit 10. LECHE, quod ita ordinauit, vt multa ad clima loci pertinentia facile oculis ſubiiciat. e. g. calorem medium annuum eſſe graduum thermometri Celſiani 5, vnde clima pro temperato haberi vult, refertque, frigus etiam vehementius quarundam hyemum minus penetrare frigore leniori regionum magis auſtralium,

quod

quod et exteri teſtantur et incolae, qui aliis in locis commorati ſunt.

2) *Machinam frumento, quod ſeri debet, ab aliarum herbarum ſeminibus admixtis purgando idoneam* deſcribit CAR. IO. CRONSTEDT. Aliam iam olim ediderat, ſed haec tempori melius parcit. p. 190.

3) *Tentamina electrica cum phosphoro inſtituta* edit IO. CAR. WILKE. Phosphorum vrinoſum corporibus electricis illinit, et ex vaporum lucentium motu materiae electricae motus colligit, non tamen ignarus, et ab aere eosdem agitari. Eiusmodi tentamina cum olim inſtituiſſet et publicaſſet, fatetur tamen, poſt etiam in WINKLERI noſtri de aqua vim electricam adiuuante libello ſe legiſſe. Hic ſollicite inſtituta enarrat tentamina cum prismatibus ferreis in apices deſinentibus, quae omnia ita propellere vapores phosphori illiti reperit, vt dubitari nequeat, eos a materia electrica eiecta moueri. Plurimum autem variauit tentamina, apices adhibendo poſitiue et negatiue electricos, et paria illorum iungendo, quotquot diuerſis modis combinari poſſunt, ſemper eadem reperiens, et ab apicibus negatiue electricis aeque proiici vapores, ac a poſitiuis, quod obſtat FRANKLINI theoriae, negatiuam electricitatem priuationem ſaltim eſſe et defectum. Cum theoriae omnes, quotquot prodierunt, difficultatibus ſuis premantur, coniecturam proponit: eſſe forte plures vna materias electricas, quae ſingulae a corporibus trahantur, ipſae vero mutuo ſe repellant, in corporibus autem vnitae illud non electricum efficiant, quod reſoluendo mixtum hoc in elementa velut ſua actuoſum reddatur. Ipſe tamen fatetur, et huic ſuſpicioni aliquot ſuorum experimentorum obſtare. p. 193. p. 207. p. 208. p. 214.

4) *Ni-*

p. 214. 4) *Nitrum quomodo purificetur*, enarrat FRID. VLRIC. MANDERSTRÖM. Deſtinat laborem ſuum vſui pulueris pyrii conficiendi, et quomodo in molendino quodam, vbi eiusmodi puluis conficitur, nitrum lixiuii ope purificetur, recenſet. Cum duo inprimis, ſal nimirum commune et pinguedo,
p. 222. nitrum impurum efficiant, dum coquitur et ebullit lixiuium, plus aquae frigidae affunditur, ſi ſal praedominetur, minus, ſi pinguedo abundet; quae accuratius determinat et omnem proceſſum deſcribit.

p. 226. 5) Formulas, quibus *iridum origo* explicatur, via quae ipſi noua et facilior vulgaribus videtur, inueſtigare docet FRID. MALLET.

p. 229. 6) *Experimenta cum Mandragora* (Atropa mandragora LINN.) *inſtituta* recenſet CAR. FRID. HOFFBERG. Pleraque in militibus bello praeterito aegris ſunt inſtituta. Egregiam mandragorae cataplasmatis et emplaſtri forma adhibitae, vim repellentem et diſſipantem expertus eſt in glandularum, vt parotidum et maxillarium cet. tumoribus etiam induratis, dummodo nimium vetuſti non fuerint, item in colli tumoribus tam ſcrophuloſis, quam inflammatoriis. Vulnerum ſuppuratio vbi ſiſtebatur, et a materia congeſta glandulae axillares ac inguinales tumebant, tumores 3 vel 4 dierum ſpatio diſſipauit cataplasmate ex radice in puluerem redacta et emollientibus commixta. Similes effectus praeſtitit radix in tumoribus glandularum venerei, item in bubonibus inguinalibus a gonorrhoea colibita, vſurpatis ſimul ſanguinem purificantibus et diureticis, nec non in inflammatione teſticuli a cauſſa
p. 231. venerea. Vſum radicis externum pro re nata inſtituit, cataplasma ex radice cum melle confecit, item in lacte illam coxit et calentem impoſuit, aut cum

empl.

empl. de meliloto vel aliis emollientibus miſcuit. Interna medicamina nulla adhibuit, niſi bis ſingulis ſeptimanis pilulas aluum cientes ex extr. panchymag. CROLL. reſin. ialapp. et 2, 3 vel 4 granis mercurii dulcis vel panaceae mercurialis. Poſt hunc externum radicis vſum etiam internum tentauit in milite, arthritide vaga diu vexato, contra quam nihil valuerant aquae minerales, decocta aut alia; praebuit illi grana 3 pulueris radicis mandragorae, p. 232. cum 30 gran. ſacchari veſpere cubitum ituro, eumque poſtea decoctum hordei copioſe bibere iuſſit. Arthritidis effectus ſtatim ceſſare viſi ſunt, ſed vires aegri proſtratae et ipſi ſenſus obtuſiores, aeger ſomnolentus tamen ſomno caruit, viſus hebetior factus, excretiones imminutae, pulſus mane ſequenti debilis, ſed paulo velocior, ſudor largus. Medicamenti effectus paullatim ceſſarunt, et veſpere nihil eorum ſuperfuit, ſed tunc arthritidis incommoda redierunt, quae tandem ad priſtinam vehementiam excreuerunt. Aliis duobus arthriticis initio ſemel, deinde bis vel ter quotidie praebuit tincturam, ex ſcrupulo radicis cum ſesqui vncia vini Hiſpanici digeſtione 24 hor. extractam. Effectus inde ſimiles, ſed blandiores fuerunt; dolores arthritici leuati poſt aliquod tempus redierunt.

7) *Tecta quomodo ex terra argillacea fiant*, de- p. 235. ſcribit PETR. DAHL. Terra in cylindros conuoluta tignorum interſtitiis inſeritur. Obiter monet, parietes domuum ex ſcoriis ad praeſcriptum Cl. SVAB in Comm. Soc. R. Sc. 1761. trim. 3. factos vſu ipſo plurimum ſe commendaſſe.

8) *Phlyctaenae genus* deſcribit ANT. ROLAND- p. 238. SON MARTIN, ſequutus obſeruationes 10 fere annorum. Veſiculae ſuper cutis ſuperficiem emi-

nent pellucidae, punctulum ſeri aut ſaniei craſſioris continentes, raro ſponte ſuppurantes, maturae pruriunt, ardent, hinc apertae ſerum effundunt, ſed locus rurſus intumeſcit et ardet, cauum profundum conſpicitur, celluloſam cutis quaſi acu factum penetrans, vngue ſuperducto velut reſiſtentia quaedam in carne ſentitur, cum tamen nihil aliud appareat, quam apertura vsque ad carnem pertingens. A ſiccis cutis ſquamae albae forma ſecedit, nulla cicatrice ſuperſtite. A motu, febribus, ſpirituoſis, et quaecunque transpirationem augent, eleuantur et inflammantur. Sibi relicta phlyctaena 4 aut 5 diebus, ſaepe etiam pluribus durat, antequam veſcula ſubſidet, ſed aperta 2 aut 3 diebus poteſt ſanari. Quae album ſerum continent et pellucidum, tardius matureſcunt, citius, quae flauum, et coagulante ſero in corpus flauum durum, deciduum mutan-
p. 240. tur. Si preſſione ſanguis in illas adigatur, breuiſſimo tempore indigent, ſero colore rubro indureſcente, vt arenae granulum tactui exhibeant. Si prorſus intactae relinquuntur, 8 aut 10 diebus indigent, flaueſcente ſero et ſquama ſuperiore, quae diſci circularis forma excidit, annulo ſquamoſo reſiduo, qui paulatim conſumitur. Plerumque veſpere maxime pruriunt, qui pruritus criſis eſt, et indicat, maturas eſſe et aperiendas. Igitur praecipuum momentum in eo ſitum videtur, vt ad carnem expellantur et remedium quoddam inueniatur, cuius ope ſponte diſſiliant. Qui primum hoc malum ſentiunt, iis ſaepe cutis ad vnguium radices finditur et decidit, manus coeruleae ſunt, a frigore maculis rubris notantur. Locus affectus igni admotus ita dolet, ac ſi reuera ambuſtus eſſet. Quaeuis igitur phlyctaena inflammatio eſt, cuius ſigna omnia in ea deprehenduntur, rubor, dolor, tumor, calor, cet. Imprimis oriuntur in extremis corporis, ad indura-

tiones

tiones carnis, verrucas, cet. poſt febres criſis ad modum, poſt ambuſtiones, venaeſectionem, bezoardica ſpirituoſa, et quaecunque carnem flaccidam reddunt. Saepe 18 aut 20 tales veſiculas, vnam p. 241. iuxta alteram poſitam Noſter numerauit, ſingulas operculo ſuo circulari et puncto ichoroſo diſtinctas, vt quaeuis propriam velut cutis cellam occuparit, in aliam non intrarit. Reliqua illarum a corporis conditionibus pendent, quod ſi ſucci plenum ſit, multo ichore tument, alias ſiccae et paruulae. Infantibus ob lymphae ſerique maiorem copiam et carnem laxiorem magna vulnera efficiunt, difficilius ab achore et pſora diſtinguendae, niſi eſſentialibus ſuis ſymptomatibus, exacerbationibus quotidie vel alternis diebus pomeridie aut ſub noctis ingreſſum ingruentibus, viribus proſtratis et laſſitudine. Morbus chronicus eſt, mox apparens in cute, mox interiora corporis occupans, vbi viſcera corrumpere illum et hectica mala producere Noſter ſuſpicatur. In hominibus vehementer motis, ſub veris initium in aere p. 242. incaleſcente, petechiarum forma comparuit malum, nullis veſiculis tumentibus, quod ſaepius obſeruatum eſt in corporibus ſubitam caloris mutationem paſſis.

9) *Ex diario Academiae et ſcriptis miſſis excerpta.*

1) Idea tabulae productis et quotientibus numerorum inueniendis aptae, Auctore BENED. AGREN. p. 243.

2) Cl. CRONSTEDT in Commentariis anni 1764 ſuaſerat, ſcorias, inprimis dum ferrum liquatur, oriundas, modulorum certorum ope ita formare, vt lateres velut parietibus exſtruendis idoneos praebeant. Hi lateres, ſi lapidis calcarii addendi magna fruſta nondum igne domata contineant, diſſiliunt, lapide ab humore ex aere attracto volumen ſuum augente. Igitur calcem addendam ſollicite comminuere et cribrare ſuadet. p. 245.

p. 247. 3) Cl. ROSENADLER fructus rubi arctici, cuius plantationem docuit Ill. LINNAEUS in Comm. 1762. trim. 3. vino grato praeparando adhibere docet. Id diu in Suecia ex recentibus baccis factum est; Noster suadet baccas lento igne torreri, et cribro a membranis et impuritatibus separari; ita diu seruari possunt et, quod inprimis vsum illarum commodiorem et vniuersaliorem reddit, facile transferri. Siccatis vinum, quod Gallicum vulgo vocant, superfunditur, cui sapor valde gratus ab illis conciliatur.

p. 249. 4) *Anonymus* sues non in hyemem seruandas, sed aestate foliis variis plantarum saginandas suadet. Ipse inde a vere 1762 suem tunc 9 mensium solis foliis nutriuit, vt aegopodii, philadelphi coronarii, cerasi, pruni, cynosbati, mali sylvestris, helianthi tuberosi, helianthi annui, chenopodii, cichorii, polygoni auicularis; die 1 octobris caesum animal pingue erat et optime saginatum, licet nihil frumenti, quod alias dari suibus solet, accepisset. Siccis foliis minus delectantur sues, recentia itaque praebenda sunt, et in aqua seruanda. Alius narrat, folia secalis progerminantis resecta pluribus annis suibus saginandis sufficisse, idque, nisi folia propius ad radicem resecentur, magis prodesse secali, quam obesse.

p. 253. 5) Ligustri folia siccata ex Nericia missa sunt theae loco adhibenda. Tinxerunt infusum colore primum pallide luteo, postea, qui rubiginis ferri et, vaporis odor ingratus, sapor nauseosus et aliquantum adstringens; examina liquorum chemicorum ope instituta ostenderunt partes virides, resinoso gummosas, infusum aquosum intrantes, saporis nauseosi caussas praecipuas, deinde salsi aliquid, oleosi et terrei; theae quidem infusum hoc absque periculo substituendum, dummodo sapor placeat.

Trime-

Trimeſtre quartum.

1) *Obſeruationum meteorologicarum Oboenſium partem ſextam et vltimam* edit 10. LECHE. Miſcellae ſunt, vt: glacies quibus diebus ſolui et fluctuare incipiat in fluuiis Pomarienſi et Oboenſi, quod plerumque medio aprili contingit. Aues veris nunciae ſunt: motacilla (*alba et flaua L.*) apparet, cum glacies ſoluitur; inter hirundines primum (*vrbica L.*); illam proxime ſeqitur circiter d. 10 maii hirundo (*ruſtica L.*) cum aqua in ſinubus maris 9 aut 10 gradus thermometri Suecici calet. Ea aduenientes monet, hortos oleribus colendis deſtinatos curari debere. Vltima eſt apus, turres habitans, aeſtatis ineuntis index. Eadem prima omnium auolat, plerumque ante 20 aug. cum inſecta, quae capit, poſt illud tempus ad magnam in aere altitudinem, vbi ipſa habitat, non amplius adſcendant; reliquae abeunt, cum eſca ipſis deficiat; hinc in vrbibus ob calorem maiorem diutius manent, quam in pagis. Motacilla diutiſſime omnium in campis, et tectis inſecta, quibus veſcatur, reperit. Poſt hirundinum abitum adhuc 17 gradibus calet aqua maris. Ille calor cauſſa eſt, cur nocte in arundine degant hirundo et motacilla. Errare credit Noſter, qui exiſtimant, hirundines haec loca quaerere, vt hyemem in aquam demerſae poſt peragant, cum aues, quarum pennae integrae ſunt, ne quidem ſubmergantur, et motacillae ſaepe, antequam fluuii omnino glacie liberi ſint, adueniant, certo non ex aqua redeuntes, arundinem tamen aeque ament. Florendi medium tempus Oboae eſt groſſulariae d. 16. maii, malo d. 1. iun. ſyringae d. 7. iun. Iuglandis et ſorbi aucupariae perimetros dimenſus eſt Noſter, incrementi leges inueſtigaturus. Maio menſe vix notabiliter augetur arborum craſſities, maxime p. 257. p. 262.

maxime vero iunio menſe, paulo minus iulio, ad huc minus auguſto: aequale iunio et auguſto eſſet arborum incrementum, ſi a calore ſolum creſcerent, dependet autem ſimul a ſucci arbores intrantis copia. Sequuntur fulgurum et aurorae borealis obſeruationes.

p. 268. 2) AXEL FR. CRONSTEDT *obſeruata ad Iämtlandiae hiſtoriam mineralem pertinentia* edit, ex quibus nihil fere huc transferri poteſt, cum et ad geographiam phyſicam particularem eius regionis per-
p. 284. tineant, et in breuitatem contrahi vix poſſint. Terras planitierum a montibus originem ſuam trahere multis rationibus confirmare ſtudet. Ita montibus ex cote conſtantibus vicini agri argillacei quodammodo ſunt, terra tamen non cohaerente, colore ceterum aliisque proprietatibus coti ſimiles. Particulas, a montibus aqua coelo decidua auectas, in planities deferri facile concipitur.

p. 289. 3) *Obſeruationes occaſione finium Herjedaliam et Iämtlandiam inter ac Norvegiam conſtitutorum* factas edit NIC. MARELIUS. Omnia fere ad topographiam regionum illarum pertinent. Id tamen contra quosdam Suecos auctores monet, non reperiri
p. 300. lacus et aquarum receptacula in ſummis montium verticibus, ſed, vbi reperiuntur, altioribus montibus circumdari, vnde collecta aqua defluere illuc poſſit. Ex falconum aucupio ad clima concludi poteſt; quod circa annum 1743 aliquot aeſtatibus glacies, paludibus incumbens, liquata non fuerit; anno
p. 309. 1759 die 24 iunii glacies currus onuſtos ſuperuehere paſſa ſit, diebus proxime ſequentibus diffluens; 1758 ante diem Michaelis nix ceciderit. Igitur frumentis ferendis vix apta ſunt haec loca, ſed pecudibus nutriendis idonea, dummodo coloni longa

longa hyeme habeant, quibus occupentur et vitam ſuſtentent, ſatis copioſi in his montibus habiti, ſi 40 aut 50 homines intra milliaris Suecici quadrati ſpatium reperiantur.

4) *Emendatiorem modum mineras machinis contuſas tractandi* exhibet ANT. V. SVAB. Minerae contuſae aqua adfluente a machina mineris diffringendis apta remouentur, quae aqua in lacunis ſubſidit, contuſas mineras ſedimenti admodum depoſitura, ſed ob motum aquae vehementiorem multae particulae et fere ditiſſimae longius auehuntur et omnino cum aqua elabuntur; talem igitur lacunarum conſtructionem exhibet Noſter, qua cohibeatur vehementior aquae fluxus et ſedimenta melius deponantur. Simul planum illud inclinatum, ſuper quo defluentes minerae purificantur, mobile fieri ſuadet, quod inferiori ſui parte ad obſtaculum quoddam immotum allidi repetitis ictibus poſſit, quibus efficitur, vt minerae verſus ſuperiora repellantur, alias motu accelerato citius defluentes, quam vt ſatis purae euadant, vt in metallifodinis Vngaricis et Salisburgenſibus vſu receptum eſt, et cum fructu Noſter in Suecicis tentauit. Multa continet ſcriptum hoc, quae docent, quantum exactior legum mechanicarum et hydroſtaticarum cognitio ad perficiendas has artes valeat. p. 313. p. 319.

5) *Experimenta electrica cum faſciis ſericeis variorum colorum* edit TORBERN BERGMAN. Animus auctoris erat, experimenta Cl. DU FAYE, parum adhuc repetita, de colorum in electricitatem effectu, accuratius inſtituendi. Apparatum igitur iis commodum excogitauit, et varia inſtituit, ſed ex iis leges generales nullas condit, potius euentus non ſatis inter ſe conſpirantes aliis cauſſis tribuendos p. 328. p. 325.

dos cenſet, calori inprimis, de quo ſuſpiciones
p. 329. quasdam ſatis ingenioſas profert; quam tamen rem alio tempore plenius ſe expoſiturum eſſe promittit.

II.

GERARDI L. B. VAN SWIETEN, Auguſtiſſ. Imperator. et Imperatric. a Conſiliis, Archiat. Com. Bibliothecae Auguſtae Praefecti, Inclyt. Facult. Med. Vienn. Praeſidis perpetui, nec non Academiae Reg. Scient. et Chirurg. Pariſ. Acad. Scient. Petropolit. Acad. Nat. Curioſ. Inſtitut. Bonon. Collegii Regii Medic. Edinburg. Societ. Scient. Harlem. Botanic. Florent. Germanic. Ienenſ. degli Agiati di Roveret Membri, Commentaria in HERMANNI BOERHAAVE Aphorismos de cognoſcendis et curandis morbis. Tomus IV. Lugd. Batav. apud Iohannem et Hermannum Verbeck. 1764. 4. Alph. 4. pl. 2.

Cum tertium horum commentariorum tomum indicaremus, *) totius operis ideam dedimus, et compendium rerum propoſitarum ideo facere noluimus, quod lectoribus noſtris ipſius operis lectionem commendabamus; nunc vero cum de quarto tomo exponamus, et ex praefatione intelligamus, quintum et vltimum proxime ſequuturum eſſe, omnes, qui veram morbis medendi rationem aſſequi cupiunt, adhortamur, vt in lectione huius libri cum cura verſentur. Quo autem doctrinae dignitas ex quibusdam ſpeciminibus pateat, quae-

dam

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. Part. III. p. 457.

dam paſſim excerpta cum Lectoribus noſtris communicamus, ex quibus Ill. Auctorem vera BOERHAAVII doctrina, hoc eſt, ex praeſtantiſſimorum veterum et recentiorum medicorum fontibus hauſta, imbutum, propriisque obſeruationibus inſtructum eſſe intelligent. Agit autem hic tomus de phthiſi pulmonali et aliis, hydrope, podagra, morbis virginum, grauidarum, partu difficili, morbis puerperii et infantum.

Phthiſis eſt corruptio, ſiue conſumptio et dimi- p. 1.
nutio, varie, a veteribus quoque, accepta, hinc in vniuerſum dicitur conſumptio et diminutio totius corporis habitus, ſpeciatim per labem purulentam, ſpecialiſſime autem ad pulmones refertur, ſi ſedes vlceris in hoc viſcere eſt, quam ob rem phthiſis pulmonalis dicitur. Cum autem ex eius cauſſis primaria ſit haemoptoe, de hac paulo luculentius agitur. Remouet ita Cel. Comment. ſanguinis ſputum ex faucibus et cauis vicinis eductum, et cum veteribus vel ex vaſis ruptis, vel eroſis, vel ampliatis oriri monet. Quoniam etiam prognoſis et curatio his tribus differentiis accommodanda eſt, illas paulo accuratius ſignis diagnoſticis additis declarauit.

Ruptura vaſis a cauſſa violenta eſt, ictu, lapſu, p. 5.
clamore vehementi, iracundia, cet. vti vero ruptura vaſis magni mortem haud raro ſubitaneam inducit, ſic vulnus recens in ſano corpore conſolidationem ſperare iubet; ruptis enim vaſis larga copia ſanguinis eiicitur quidem, ſed ſedatur citius. Vbi, eroſis vaſis, haemoptyſis accedit, longe difficilior cura eſt, cum vlcus non ita vt vulnus ſanetur. Cognoſcitur, quando nulla vis externa illata, et tuſſis diuturna irritans praegreſſa eſt, ſi dolor aliquis in thorace interno perceptus fuit, ſi parca quidem ſanguinis copia tantum exſpuitur, ſed vere perpetuo, vel ſaltim redeat frequentiſſime ſanguinis ſputum. Longe

minus periculum eſt, ſi per anaſtomoſin dilatata vaſorum oſcula extrema ſanguinem in vaſa pulmonum aerea effundunt, vaſa enim integra manent et humores boni ſunt, diameter igitur vaſorum ſanguine egreſſo iterum minuitur, ita, vt paulo poſt humores ſanguine tenuiores tantum transeant. Haec haemoptoes ſpecies in foeminis, ſuppreſſione menſium laborantibus, accidit, et niſi curetur, ſaepius reuertitur, hinc etiam huius ſpeciei licet minus periculoſae curatio negligenda non eſt. Qua ratione vero haemoptyſis in phthiſin per vlceris geneſin transeat, porro definire tentat.

p. 18. Non tantum excretiones ſanguineae, ſed etiam ſeroſae conſuetae nunc ſuppreſſae haemoptoen et inde natam phthiſin accelerant, qua occaſione oſtenditur, excretiones acrioris ſeri per vlcera, alias in locis nata vel arte excitata, v. c. per ſetacea, progreſſum morbi cohibere.

p. 33. Larga et repetita venaeſectio haemoptoen curat, et quidem non tantum in cauſſa rupturae, ſed etiam eroſionis; in vtroque tamen caſu, ſi poſt magnam ſanguinis copiam emiſſam debiliſſima eſt vita, venaeſectione non opus eſt, quoniam iam adeſt illa conditio, quam venaeſectione attingere annitimur. Cum vero repetita venaeſectio et copia ſanguinis mittendi a prudenti medico tantum definiri queat, ad ſequentia Noſter attendit: ſi poſt primam venaeſectionem haemoptoe ceſſat, aeger nullum dolorem in pectore ſentit, pulſus aequalis, tardus, nec plenus eſt, calor in toto corpore, in primis in extremis, minor, quam in ſano, et reſpiratio libera, tunc venaeſectio differenda eſt, ex contrariis itaque et repetita et accelerata venaeſectio et ſanguinis mittendi copia diiudicari poteſt. Quae quidem ſigna eo ſtudioſius perquirenda ſunt, cum cruſta inflam-

matoria

matoria, quae interdum ſanguinis repetitam miſſionem vrget, non ſemper adſit.

Mittamus nunc alia, quae de medicamentis et rerum ſex non naturalium vſu addit, nec tuberculorum, vomicae et puris rationem in phthiſicis examinemus, ſed tantum moneamus, in cura phthiſeos eo reſpiciendum eſſe, vt expectoratio intra iuſtos limites conſeruetur: pure enim non ſatis excreto acrimonia eius et vlceris incrementum ſuccedit, quod ſi vero ea nimis intendatur, abſtergitur pus bonum, quod tamen ſanationi vlceris fauet. Hinc ſaepius de nocte tuſſis cohibetur anodynis, quo matutino tempore pus blandum ſine vehementi tuſſi reiiciatur; balſama interim natiua, immo ea, quae ex ſulphure cum oleis parantur, caute iterata, ſed parca doſi exhibenda ſunt. Secretiones praeterea omnes liberae ſeruentur, quo pus forte reſorptum iis propellatur. Hinc patet, plantarum vulnerariarum decocta, quae in phthiſi commendantur, vſu ſuo diureſin ex voto promouere, et alia ex diaphoreticis et aluum ducentibus, ſed caute ſelecta, in hunc finem adhibenda eſſe. Inter ea vero medicamenta, quae ſanguinem contra infectionem purulentam muniunt, cortex peruuianus non vltimum eſt. Examen aliorum remediorum et pauca etiam de vſu lactis ſubiunguntur. p. 87.

De phthiſi ex vlceribus aliorum viſcerum oriunda pauca traduntur, cum eius ratio ex phthiſi pulmonali cognoſcatur. p. 114.

In hydropis conſideratione ea, quae generalia ſunt, breuiſſimis attingit, miſſis igitur, quae de hydrocephalo habet, ad thoracis hydropem progredimur, vbi ſerum, extra vaſa miſſum, in quinque diſtinctis locis haerere poſſe oſtendit, in vtroque pectoris cauo, in pericardio, retrorſum extra pleuram p. 131.

circa

circa corpora vertebrarum (in mediaſtino poſtico), et antrorſum ſub ſterno inter binas pleurae lamellas (in mediaſtino antico), quem tamen nullibi deſcriptum inuenit. Multus quidem eſt Cl. Commentator in diagnoſi harum ſpecierum enodanda, plura tamen ſigna incerta eſſe, morbique tantum ſuſpicionem mouere, libere profitetur.

p. 157. Leucophlegmatiam ab anaſarca diſtinguit; in illa adeſt mucoſus lentor, qui in habitum corporis diffunditur, et quidem magis aequabiliter per totum dispergitur, in anaſarca eſt aquoſa tenuitas humorum, et tumor aquoſus ab inferioribus partibus ſurſum aſcendit. Addit vero ex obſeruatione veterum, leucophlegmaticum humorem in aquoſam tenuitatem, hoc eſt, in anaſarcam transire; et alia ſigna ſubiungit, cum tumor, in anaſarca digitis preſſus, cedat et ſenſim iterum aſſurgat, in leucophlegmatia vero integumenta magis reſiſtant.

p. 172. Cum periti ſaepe medici in diagnoſi aſcitis et tympanitidis errent, ſigna earum quoque perpendit Noſter. In tympanitide nunquam abdomen in tantam molem extenditur, quam in aſcite; in illa quoque abdomen ad latera compreſſum verſus mediam partem magis eminet, et in vario decubitu ventris forma non mutatur, quod in aſcite fieri ſolet; tandem addit, ſonum tympani inſtar edere percuſſum abdomen, et aegrum ad ſtateram leuem eſſe, cum in aſcite pondus ob collectas aquas inſigne ſit. Inaequalitas etiam tumoris tympanitici non negligenda eſt, cum canalis inteſtinorum variae partes et ſcybalis duris et aere vario modo diſtendantur.

p. 188. Num vaſa lymphatica rupta humorem in cauam diffundant? quaeſtio eſt, quam non nulli negant. Quod ſi igitur a ſanguinis venoſi motu impedito diſtendantur lymphatica vaſa, ob teneram fabricam rupturae obnoxia eſſe aſſerit, cum ipſe ductus thoracicus

racicus, tanquam vas lymphaticum magnum, interdum disruptus repertus fuerit. Praecipua autem ratio effuſorum humorum in debilitato vaſorum robore, in diminuta parte cruoris, et in tenuitate ſeroſa ſanguinis poſita eſt, ita, vt perſpiratio cauorum interna largius ſuccedat, quam reſorptio per venulas.

Effectus hydropis ceu ſymptomata varia in aegris occurrentia ſtudioſe explicat, ſic dyſpnoeam et tuſſim ex impedito diaphragmatis motu; ſitim partim ex immeabilitate humorum, partim ex deriuatione ad loca aliena, ſimili ratione aluum duram et vrinam parcam, maciem ex defectu elaborationis humorum, ad vltimam nutritionem ducendorum; haemorrhagiam narium a motu ſanguinis per partes inferiores inprimis per abdomen impedito, indeque ad ſuperiora directo, deducit, et ſimili ratione alia, a nobis non repetenda, ſymptomata declarat. Simili ratione etiam in indicationibus curatoriis verſatur. p. 199.

Sanguinis miſſionem hydropicis non conuenire, res certa eſt, cum defectus cruoris et ſeroſa tenuitas eandem non exigant, et ſaepe exitioſam reddant: forte autem tunc concedi poſſet, vbi poſt morbos acutos ingreditur hydrops, vt Noſter ex veterum medendi rationibus oſtendit, forte tantum in anaſarca, et vbi reſorptione ſuccedente hydrops curatur. Cum etiam impedimenta motus ſanguinis venoſi hydropis cauſſae ſint, forte in hoc caſu illa quoque concedenda eſſet. Profert enim exemplum ex HILDANO, vbi in homine robuſtiſſimo ſanguineo, trigeſimum annum agente, tumor corporis vniuerſalis, aliis remediis fruſtra tentatis, effluxu quatuor librarum ſanguinis ex nare dextro discuſſus fuit. p. 216.

A potu nimio abſtinendum hydropicis eſſe, certum eſt, vſu tamen aquarum mineralium caute exhibita- p. 221.

hibitarum hydropem in eo caſu discuſſum fuiſſe patet, vbi obſtacula, quae liberum lymphae venoſae motum impediunt, harum aquarum efficacia ſolui et remoueri poſſunt. Sequitur itaque, tunc tantum fieri discuſſionem aquarum, ſi vitales motus adhuc adeo validi ſunt, vt ingeſtas aquas mouere et per vrinam, ſudorem aut aluum, excernere poſſint.

p. 225. Remedia ex argento viuo, antimonio et cupro parata, ſi violentiora ſunt, corpus turbant et ſurſum deorſumque euacuant. Minime autem ob hanc rationem conueniunt hydropicis, ea potius horum medicamentorum debet eſſe efficacia, vt humorum tenacitatem ſoluant, adeoque in vaſis et viſceribus illa obſtacula tollant, quae hydropi anſam dederunt. Tunc enim ſequuntur profuſae euacuationes, inprimis per ſudorem et vrinam, rarius per aluum, et quidem cum leuamine aegrorum et viribus auctis. Monet autem Noſter, horum remediorum praeparationem accuratam eſſe debere, et ſimul de validis aliis remediis, doſi refracta datis, in genere diſſerit.

p. 232. De paracenteſi abdominis diligenter diſſerit Cl. Commentator, et diſſenſum medicorum componere annititur. In genere monet, in aſcite coercendo paracenteſin ad aquas educendas tutius remedium eſſe, quam ſi per emetica et purgantia, immo valida diuretica, corpus nimium commouetur; illam tunc temporis nocuiſſe, poſtquam alias methodos incaſſum adhibuerunt medici, vires aegrorum iam collapſae ſunt, et viſcera in aqua putrida contabuerunt. Vbi vero abdomen nondum in magnam molem excreuit, et recens adhuc morbus eſt, audacter tentari poſſunt efficacia remedia. Omnium tutiſſime et certa cum ſpe curationis inſtituitur paracenteſis, ſi hydrops recens, nec a labe viſcerum productus fuerit, ſed a cauſſa externa corpori ſubito appli-

applicata. Quando vero cauſſae in viſceribus latent, et poſt euacuatas aquas in abdomine tanguntur duri tumores, facile praeuideri poteſt hydropis recidiua. Inſigne tamen per paracenteſin aegris ſaepe affertur leuamen, tollitur metus ſuffocationis et intolerabilis anxietas, et licet humor emiſſus non ſanet, medicinae tamen locum facit. Ex quibus patet, quantum proſit paracenteſis, interdum ſanando aegrum, interdum ei leuamen afferendo.

Lectu quoque digna eſt diſcuſſio quaeſtionis; an p. 238.
aqua ex abdomine pertuſo debeat ſimul et ſemel educi omnis, an vero partitis vicibus? Cum variorum auctorum diſſenſum eiusque cauſſas examinet et ſimultaneam tandem eductionem approbet: alia etiam, quae ad ampliationem vulneris et iniectionem liquorum mundificantium ſpectant, diiudicat. Sed his et aliis remediis, in variis hydropis ſpeciebus adhibendis, diutius inhaerere non poſſumus, cum copia dicendorum nos ad alia ducat.

Podagra eſt dolens aegritudo circa ligamenta p. 287.
oſſium pedis et iuncturas, haec quidem et alia quoque loca et alios articulos occupat, locus tamen, quem primo aggreditur, pes eſt. Licet vero podagra quandoque cum arthritide confundatur, Noſter tamen aſſerit, diſtinctos eſſe morbos. Arthritis praeterea cum febre continua debet incipere, podagrae prima inuaſio inopinantes tangit; primi porro podagrae inſultus breues eſſe ſolent, qua re ab arthritide diſtinguitur, quae diu affligit, ſi autumno inceperit, vix ante vernum tempus ceſſat, ſaepeque diu ſuperſtitem articulorum motum difficilem relinquit. Nec arthritis ſemper redit, cum plures morbo hoc grauiter quondam afflicti poſtea ab eo immunes vixerint.

Licet fluida corporis animalis chemico examine p. 294.
ſalem volatilem alcalinum non acidum exhibeant;

licet

licet calx podagrica in acidis liquoribus integre reſoluatur; licet lac ſponte ſua aceſcens podagricis toties profuerit: tamen vina acidula, quotidie et magna copia ingeſta, vt cauſſa podagrae per experientiam comprobata, aliaeque rationes, tandem licet ſerius acidam acrimoniam ſanguinem (vel forte lympham) inficere poſſe, confirmant.

p. 310. Partes, quae primo dolere ſolent in podagra, ſunt tendines et ligamenta, per quorum vaſa difficillime transeunt liquida, et quidem in pedibus calceis preſſis, et totum corporis pondus ſuſtinentibus, qui ſaepius frigent et madeſcunt, et a corde, motus principio, remotiſſimi ſunt. Agit hac occaſione contra HALLERUM et alios, qui ligamenta omni ſenſibilitate carere affirmant, et dolores podagricos tantum neruis, per ſuperficiem internam cutis decurrentibus, tribuunt, auctoritate SYDENHAMI proprios cruciatus deſcribentis. Hic enim affirmat, hunc dolorem ligamentorum tarſi et metatarſi dilacerationem, nunc morſum canis rodentis, quandoque preſſuram et coarctationem expreſſiſſe. Porro etiam vrget, dolentiſſimam obſeruari podagram absque vllo tumore partis affectae, absque mutato colore cutis, lenimen autem dolorum percipi, dum tumet et rubet cutis, immo dolorem ſenſim imminui, ſi tumor et inflammatio cutis ad ſummum gradum accedunt, qui tunc potius intenſiſſimus foret, ſi ſedes podagrae in cute eſſet. Morbum quoque articuli ſedem occupare, ex eo patere videtur, quod magnam debilitatem poſt finitum paroxysmum relinquit, atque tandem articulorum motum prorſus tollit.

p. 324. In examine calcareae et cretaceae materiae, quae articulos occupat, ſtudioſius verſatur, et praeſtantiſſimorum auctorum placita adducit, ex quibus inter ſe comparatis concludere videtur, terream

hanc ſubſtantiam ſeparari ab oſſe, et ſeparatam exire de corpore per conſuetas vias, quibus inutilia e corpore eliminantur, ſed ſimul per vaſa allatam ſimilem materiam ſupplere hanc iacturam. Si ergo per repetitos podagrae inſultus ſic mutata fuerint vaſa, ſic laeſa ſit oſſium fabrica, vt materia reparanda ad debita loca venire nequeat, non mirum eſt, illam ad vicina loca depoſitam tophos podagricos conſtituere. Si id, quod ad reparanda oſſa requiritur, in cauis articulorum colligitur, vix medicabiles anchyloſes, et ligamenta articulorum minus flexibilia efficit.

Licet curatio podagrae difficilis et ferme impoſ- p. 345.
ſibilis ſit, variae tamen indicationes examinantur, et ſudoriferis multum tribuitur; non enim tantum ad vaſa ſubtiliſſima et copioſiſſima exhalantia cutis Ill. Auctor attendit, ſed etiam neruulis copioſiſſimis, ad habitum cutaneum ductis, multum tribuit, quia nimirum, ex ſententia BOERHAAVII, ſubtiliſſimum exhalant, quod diutius in corpore relictum nocuiſſet; narrat tamen ſimul, SYDENHAMUM intercalari tempore calida ſudorifera damnaſſe, quoniam materiam podagricam, nondum ſatis ſubactam, vi ſua ad artus detrudunt, et inuita natura nouos paroxysmos excitant.

Cum autem a podagrica materia, non ad articu- p. 362.
los, ſed ad alias partes progrediente, tot mala oriantur, adeoque de auertendo morbi augmento ſemper cogitare conueniat; cum porro viſcerum praecipue vigor reſtituendus ſit, vt nutrimenta in prima digeſtionis officina bene ſubigantur; cum denique ventriculi et inteſtinorum actio in ingeſta augenda, ſimul vero ad praeſtantiam liquorum affluentium, digeſtioni inſeruientium, inprimis bilis, attendendum ſit: medicamenta, in quibus gratus aromaticus ſtimulus et ſimul amaror bilioſus eſt, ad viſce-

rum efficaciorem motum efficiendum et bilis inertiam corrigendam vtilia ſunt. Oſtendit itaque, hac in re cum veterum medendi ratione conuenire puluerem Ducis Portlandiae, quo in haereditaria podagra vſus eſt, et qui ex partibus aequalibus radicis ariſtolochiae rotundae, gentianae, ſummitatum chamaedryos, chamaepityos et centaurii minoris componitur, et cuius drachma mane ſumitur ieiuno ventriculo per tres menſes, poſtea etiam continuato per annum vſu in minori doſi. Adducitur tamen exemplum curationis minus proſperae; etenim poſt huius puluueris vſum podagrici inſultus fuerunt nulli, materia tamen ad pulmones translata.

p. 367. Maior attentio adhibenda eſt in vſu ſalium declinorum, acrimoniae podagricae acidae viſae oppoſitorum, cum certum ſit, haec podagricis biliosis omnino nocere. Mittimus alia, quae de ſolo victu vegetabili, animali omni excluſo, et de cura laxis, nec non de dolore in paroxyſmo temperando, ex variis auctorum obſeruationibus proponuntur.

p. 394. Ad morbos virginum progredimur; agitur itaque prolixius de ortu et cauſſis catameniorum, et concluditur, non ad plethoram tollendam vel minuendam inſtitutum eſſe menſtruum fluxum, cum et in non plethoricis debito tempore contingat, inde tamen et in iis, quae ſanguine abundant, plethoram hoc fluxu ſolui, hinc otioſas foeminas, lauto victu nutritas, menſtruum fluxum copioſiorem experiri, quam duro labore exercitatas, tandem parcum fluxum ſufficere, vt foecunda ſit mulier. Ex defectu menſtruorum tamen plethoram, et ex hac multa incommoda oriri, certum eſt, quae nunc recenſentur et inſolitae menſtruorum viae ex obſeruationibus declarantur. Liceat nobis raram quandam obſeruationem a BOERHAAVIO et ab haeredibus cum Cl.

p. 403.

p. 426.

Commen-

Commentatore communicatam huc transferre. Puella, decem annorum, ob luis venereae ſuſpicionem pillulas mercuriales et decocta lignorum felici cum ſucceſſu ſumſerat, poſt nouem menſes dolorem tenſiuum in brachio dextro ſenſit, et eruperunt puſtulae, cum pungente dolore, ex quibus paulo poſt ſanguis fluxit, dolore et puſtulis ipſis euaneſcentibus; poſt menſem et cum duodecimum ingrederetur annum, fluor menſtruus prima vice erumpebat, rediens menſe proximo poſt praegreſſam ex puſtulis haemorrhagiam. Emmenagogis exhibitis et vena in pede inciſa, absque brachii puſtulis et haemorrhagia, redierunt ordinata menſtrua. Cum digiti manus dextrae rigida hyeme frigerent, ex apicibus illorum ſtillabat ſanguis ſine fiſſura et puſtula: calore foci et tepore verno ceſſit malum, menſtruis iterum rite ſuccedentibus. Deinde poſt, habita circuitus menſtrui lege, quotidie vel alternis diebus iterum ex digitis procedebat ſanguis ſine vlla apertura. Cum mane adhuc ſtillaret ſanguis ex digitis, poſt meridiem vertigo cum rubore faciei aegram angebat, mox larynx in tumorem attollebatur cum ſuffocatione quaſi hyſterica; haec cuncta ceſſabant, poſtquam ſanguinis fonticuli in collo aperti erant. Alio tempore inflabatur hypochondrium dextrum cum acerbo dolore; adhibitis medicamentis variis, inprimis venaeſectione inſtituta et balneis, ceſſauit dolor, menſtruis tamen ſimul ſuppreſſis. Erubuit facies et larga ſequuta eſt haemorrhagia narium, qua nondum ceſſante, intumuit larynx, et ſanguine ex collo exſudante, iterum detumuit; vna eademque die ex brachio dextro et ſura pedis dextri ſanguis ſtillabat, ſub veſperam ſpaſmi lateris dextri, mente conſtante. Haec exceperunt alternae conuulſiones variarum partium, et ventriculus intumuit, decima tamen hora ceſſarunt omnes hae turbae,

ſupererat brachii dextri laxa immobilitas, nec extendi poterat genu dextrum, epigaſtrium erat inflatum, et accedebat amauroſis oculi ſiniſtri, quae vnica pars erat ſiniſtri lateris affecta. Tentatis variis remediis, non niſi brachii mobilitas reſtituta eſt. Poſt menſem oculus ſiniſter ſubito intumuit, et lacrymae ſanguineae effluxerunt, non tamen ceſſauit amauroſis. Succeſſit ſudor ſanguineus naſi ex ſiniſtra parte et haemorrhagia narium, quam mox excipiebat ſputum ſanguineum et ſanguinis riuuli ex virgis et brachio dextro. Intumuit ſura absque dolore ſanguineo, poſt biduum terrore perculſa, ſanguis ex oculo ſiniſtro, brachio et manu dextra fluxit. Menſtrua, per bimeſtre ſpatium ſuppreſſa, poſt vſum nonnullorum remediorum emmenagogorum prodiere, ſed parcius, detumuit tamen abdomen. Dolemus, hiſtoriam hanc morbi ſingularis non ad finem perducere potuiſſe accuratiſſimum obſeruatorem. Ea vero, quae nunc fuſius de fluxu menſtruo promouendo et de ſelectis in hunc vſum remediis propoſita ſunt, omittimus, cum pauca etiam ex morbis grauidarum annotanda ſint.

p. 450. De ſignis grauiditatis primo agitur, quatenus vel in ipſa conceptione, vel poſt illam ſe monſtrant, nonnulla etiam de hydrope, cum grauiditate con-

p. 455. iuncto, ex obſeruationibus adducit. De augmento ſanguinis in grauidis poſtmodum perhibet, illud in vterum impendi, et ab hoc ſanguine vterino ſecerni tenuiores humores, vſibus embryonis deſtinatos. Propinqua obſeruatione confirmare annititur, nihil rubri ſanguinis ad embryonem venire primis menſibus, nec ad membranas, nec ad placentam. Cum autem vterus totus vaſculoſus ſenſim diſtendatur, de craſſitie eius in grauiditate aucta vel imminuta diuerſas Auctorum ſententias refert.

Nauſea,

Nauſeam, vomitum, aliaque grauidarum incommo- p. 462.
da, ſanguini menſtruo retento non adſcribenda eſſe, Cl. Commentator vrget, quoniam in grauidis oculi magis contracti et caui cernuntur, et oculorum album liuidum apparet, cum in plethoricis oculi potius promineant, et vaſa rubra in albo appareant. In multis grauidis quoque facies pallida et contracta inuenitur, et ſymptomata adducta ſaepe mox poſt conceptionem, et antequam plethora moleſta fieri poteſt, apparent. Quoniam vero BOERHAAVIUS p. 469.
affirmat, ſanguinis miſſione ſymptomata grauidarum tolli poſſe et debere, Noſter, qui venaeſectionem in grauidis non prorſus improbat, oſtendere tamen annititur, illam in omnibus grauidis neceſſariam non eſſe, immo nec ſemper vtilem, ſed quandoque noxiam.

In genere quidem patet, validos corporis con- p. 499.
cuſſus in grauidis vitandos eſſe, cum hi vero ſaepe ab iis cauſſis eueniant, quae vitari non poſſunt, v. c. a ſternutatione valida et tuſſi, his occurrere debet medicus: hinc in coryza fomentationes narium ex aqua et lacte tepidis conueniunt, et tuſſis vltimis geſtationis menſibus ſaepe moleſta diacodiatis coercenda eſt.

Cum adſtringentia, vaſis vterinis apertis, ad abor- p. 505.
tum praecauendum non applicari queant, opiatorum vſum Noſter cum BOERHAAVIO vrget; quoniam eorum vſu motus ſanguinis circulatorius retardatur, quod experimento ALSTONI in ranis capto demonſtratur, et ſimul certum eſt, in validis haemorrhagiis prodeſſe, ſi vita ſit debiliſſima. Ligaturae vero artuum, quae idem efficiunt, ita adornandae ſunt, quo venae tantum, minime autem arteriae premantur. Vbi autem haemorrhagia incipit minui, ſiue ex collapſis vaſis, ſiue ex thrombis obturantibus orificia vaſorum illud eueniat, non

omnes ligaturae ſimul, ſed vna poſt alteram relaxanda eſt.

p. 581. Ne nimium extendamus recenſionis limites, mittimus ea, quae ex variis auctorum ſententiis et obſeruationibus de partu difficili proponuntur, et ad morbos puerperarum progredimur. Recenſentur primum omnes cauſſae, quae in circulo ſanguinis mutato puerperas ad lipothymiam et ſyncopen disponunt; omnis enim ſanguis verſus inferiora vaſa corporis iam laxa et patula vergit, et parca copia ad cerebrum et cerebellum venit; cum itaque tempus puerperii, quod immediate partum ſequitur, periculoſiſſimum ſit, maius discrimen foret, niſi vterus ipſe ſubita contractione vaſa ſua angustaret. Placenta itaque non ſoluenda eſt, niſi conſtet, vterum iam ſe contrahere; inde etiam metuunt vterum flaccidum, in abdomine fluctuantem, nec in globum contractum, non raro enim ob inanitionem ſubitam vaſorum conuulſae pereunt puerperae. Ob eandem rationem ſuſpectus habetur nimis facilis partus, dum vna cum aquis ruptis vno quaſi impetu prodit foetus, vel quando membranis adhuc integris concluſus vna cum placenta prodit.

p. 589. Ex hac cauſſa puerperis mox poſt partum non conceditur ſomnus, cum tamen blanda quiete adeo reficiantur. Verum, ſi lata faſcia abdomen conſtringatur, et vterus ſigna contractionis ſuae dederit, ille metus abeſt. Prudentia iubet, vt primis poſt partum horis non deferatur puerpera, ſed nullo modo requiritur, vt perpetuo ſtrepitu excitata vigilare cogatur.

p. 603. Si ſanguinis puri copia poſt partum vndatim effluit, et vaſa, diſtendente ſanguine libera, ſe contrahunt, lochiorum rubedo paucis ſaepe poſt partum horis imminuitur; quod vero nondum lochiorum ſuppreſſio dici poteſt, nec tunc conuenit varia artis moli-

molimina ad ea excitanda adhibere; imminutio enim haec a vaſis contractis naturalis eſt, et cum nulla alia mala ſymptomata adſint, non videtur periculoſa.

Febricula illa, quae in puerperis lactea dici ſolet, non tantum a lacte ad mammas delato naſcitur, ſed etiam a depuratione vteri per blandam et ſuperficiariam ſuppurationem pendet. Ideoque non ſemper timendus eſt purulentus lochiorum fluxus, cum naturalis ſit. Narrat Ill. Auctor, medicos eo non raro turbatos fuiſſe, dum periculoſum vteri vlcus adeſſe crediderint. Subputridus etiam odor non raro a linteis haud ſatis mutatis et purgatis pendet, et grumoſus ſanguis, qui in vteri ſinubus diutius haeret, in tabum ſubputridum deliquescit. Febris vero lacteae vera ſigna paulo poſt fuſius recenſentur, et oſtenditur, promptum lactis acceſſum ad mammas et facilem ſuctionem infantis hanc febrim exiguam ſaepe reddere. Qua data occaſione etiam de metaſtaſi lactis nonnulla proponuntur, et oſtenditur, lochiis ſuppreſſis ſaepe tribui, quae forte a metaſtaſi lactis producuntur. p. 605. p. 608.

Quamuis puerperis quies concedenda, et aeris frigidioris acceſſus arcendus ſit, ideoque induſiorum mutatio vix ante decimum a partu diem concedatur; quod ſi vero in his ſordibus diutius maneant; alia incommoda et grauiora inde oriri, certum eſt: omnino itaque conducit, lintea citius mutare, omnis interim adhibenda eſt cautela, ne frigidus aer corpus tangat. p. 625.

Grauiditas alui libertatem ſaepius impedit, hinc obſtetrices mox ante partum clyſma iniiciunt, maximo parturientium commodo, et ſi in ipſo partu aluus exoneretur, per biduum vel triduum alui deiectio exſpectanda eſt, aluo tamen ſtrictae clyſmate aut aliis remediis lenioribus ſuccurrendum. Sunt p. 627.

tamen medici, qui ob metum diarrhoeae per octo et plures dies aluum non ducunt, licet nixu saepius noxio tandem euacuatio magis vrgeatur, quam succedat. Adduntur porro plura de diarrhoea, in puerperis magis salutari quam noxia, et concluditur: criticam diarrhoeam inhibere vetant artis regulae, symptomaticam coercere parum videtur tutum, cum putrida in corpore retineantur. Sudores puerperarum, qui cubiculi intenso calore, strangulorum pondere vel calidis sudoriferis medicamentis exprimuntur, recte damnantur, ii vero concedi possunt, qui blando lecti tepore et dilutis humoribus promouentur.

p. 647. Accedimus tandem ad morbos infantum, vbi in recens nato de ligatura funiculi vmbilicalis, de balneis ad puritatem conciliandam, de nondum aperto ani orificio et de primo purgante ex melle, syrupo, addito etiam sapone veneto, ad glutinosum abstergendum, agitur, et incommoda a meconio retento considerantur.

p. 667. Ex ipsa natura lactis ostendit Auctor, illud optimum esse nutriendo infanti alimentum, persuasum enim sibi habet, lac, antequam in mammis colligatur, omnium viscerum atque vasorum corporis humani actionem expertum esse, omnibus humoribus permistum per vniuersi corporis vasa fluxisse, immo iam proxime ad naturam humorum corporis humani accedere, et nullam artem praeuiam eam mutationem inducere posse ingerendis cibis, quae in
p. 671. lacte iam adsit. Lactis vero bonitas cognoscitur, si odorem non ingratum spiret, album sit, dulcis et saccharini quasi saporis, et aqua pura optime diluitur. Si guttula, vngui imposita, inclinato paulum digito, non illico defluat tota, sed aliqua pars in superficie vnguis haereat, consistentia bona est, crassa autem et viscosa, si nimis adhaeret. Laudatur etiam lac, quod

quod non omnino album et opacum eſt, ſed aliquid ſubcoeruleſcentis habet, ſemipellucidum quaſi. His de victu et reliqua diaeta nutricis varia ſubiunguntur.

Magnum in recens natis hepar copioſam bilem ſecernit, quae, coloſtro caſeoſo per pylorum egredienti admiſta, illius tenacitatem ſoluit, et acidam acrimoniam cauet; bile vero inerte reddita, albicantes grumi caſeoſi cum foecibus exeunt, vel harum flauedo in viridem colorem mutatur; vti vero iam acidum abundat, ſi flauae foeces poſt deiectionem virides redduntur, ſic, ſi virides euacuantur, acidum ſpirantes, totum canalem inteſtinorum acido lactis coloſtro repleri, certum eſt. Cum itaque ſalia fixa alcalina, vt antacida, non commode adhiberi queant, ſaponis vſum prae reliquis commendat. Laudat tamen etiam vitellum ouorum, quoniam nullam acrimoniam habet, et blandum dat nutrimentum, et praeterea lactis coagulum ſoluit. p. 681.

De ortu vermium ex ouis inſectorum aliisque multiplicandi viis, de iis non tantum inteſtinalibus, ſed etiam in aliis corporis cauis reperiundis, diſſeritur, paulo poſt de differentiis vermium inteſtinalium agitur, et variae morborum hiſtoriae adiiciuntur. p. 691. p. 698.

Pruritus narium nexui, quem tunica pituitaria cum membrana pharyngis et continuata ventriculi et inteſtinorum tunica habet, tribuitur, licet itaque diuerſam obtineant fabricam, tamen irritatio, per vermes in inteſtinis excitata, ad nares vsque producitur. p. 713.

Subiungitur amplum examen medicamentorum anthelminticorum, v. c. mellis, ſtanni raſi, limaturae ferri, allii, etc. de mercurialibus pauca adduxiſſe ſufficiat. p. 723.

Cl. SCOPOLI obſeruauit, nullibi plures aut frequentiores obſeruari lumbricos inteſtinorum, quam circa fodinas argenti viui, cum tamen homi- p. 730.

nes illi viuant in aere, volatili per ignem reddito argento viuo inquinato, et ſaepe ab his exhalationi-
p. 731. bus male afficiantur. Experimenta demonſtrant, per infuſionem, digeſtionem, coctionem argenti viui in aqua pura, nihil deceſſiſſe huic argento viuo, cum autem raro aquae, potui inſeruientes, purae ſint ab omni ſale, et ſimul cognitum ſit, mercurium non tantum ſolui ab acidis, verum etiam a ſalibus alcalinis et neutris affici, non mirum eſt, ſi cum aqua
p. 738. aliquid mercurialis communicetur. Traduntur etiam variae obſeruationes de effectu ſpecifici anthelmintici Cl. HERRENSCHWAND, licet ipſa medicamenti compoſitio adhuc inter arcana reſeratur, ſub finem tandem de dentitione agitur.

III.

HENRICI IOA. NEPOM. CRANTZ, S. C. A. Majeſtatis Conſiliarii etc. Stirpium Auſtriarum faſciculus I. Viennae Auſtriae apud Ioſephum Kurtzböck. 1762. 8. pl. 5. tab. aen. 3. Faſciculus II. ibid. apud Paulum Kraus. 1763. pl. 10. tab. aen. 6.

Si eos in ſcientia botanica ſcriptores omni laude proſequimur, qui plantas, ſponte in patria prouenientes, non ſine ſummo ſaepius labore colligunt, collectasque ſyſtematice poſteritati tradunt: certe etiam CRANTZIUS Noſter eandem gloriam pari iure ſibi vindicare poteſt. Nullas ille moleſtias curans, ſolo erga plantas amore excitatus, repetito itinere diſquirit patriam ſuam, iuga, montes, alioque loca difficiliora adit, quo plantas decerpat, et inde, quem CLUSIUS ante eum iamiam inchoauit, catalogum plantarum Auſtriacarum emendet, ditioremque reddat. In tanta autem copia plantarum,

quas

quas Auſtria producit, cum cognoſcat Cl. Auctor, ſe omnium deſcriptionem non vno tempore, vnoque volumine abſoluere poſſe, iniit conſilium, hunc laborem per faſciculos ita ſuscipiendi, vt in quolibet, ſecundum methodum ad naturalem proxime accedentem, claſſem quandam indigenarum Auſtriae plantarum euulgaret. Ordines harum claſſium ex affinitate plurium generum, natura dictitante, effecit, deridens LINNAEI fragmenta ſyſtematis naturae, vt lubrica, et a natura prorſus aliena, ROYENII atque HALLERI veſtigiis inſiſtit, et non niſi ab vltimo hoc ſolo aliquod ſyſtema naturae omni numero abſolutum perfici poſſe, ſibi perſuadet.

In primo ergo faſciculo claſſem *plantarum antiſcorbuticarum ſiliculoſarum* recenſet, quas diſtinguit in eas, quae ſiliculam integram et apice emarginatam habent. Omnium generum huc relatorum characterem deſumit Noſter ex ſilicula, quatenus apice vel integra eſt, vel diſſecta, et ſtylo praedita, vel eo deſtituta, reſpiciens ſimul ad ſepti praeſentiam variamque eius figuram. Calycem et corollam rarius attendit, de numero autem ſtaminum, eorundemque ſitu, peculiari alias, ſatisque conſtanti prorſus ſilet. Eadem ratione glandulas nectariferas, quae in multis huius claſſis generibus intra ſtamina tum breuiora, tum longiora inueniuntur, negligit; non ſolum inde disquiſitionem generum ob paruitatem harum glandularum difficiliorem fieri, verum etiam anomalias inde oriri adfirmans. Etenim in *Eryſimi* nonnullis ſpeciebus, *Barbarea*, v. c. et *Cheiranthoide*, non duas, ſed quatuor eiusmodi glandulas ſe detexiſſe contendit. Eundem numerum tuberculorum in *Heſperide* inuenit. In *Dentaria* LINNAEI, (quae alias eiusmodi glandulis deſtituitur) ſpecie *enneaphyllos* dicta, quatuor, in *bulbifera* autem

Faſc. I.

autem ſex obſeruauit. Et ita pluribus aliis exemplis demonſtrat, glandulas hasce non eiusmodi characterem pro definiendo genere ſuppeditare, cui fides habenda ſit, partim, quoniam numerus earundem inconſtans, partim etiam, quoniam, vt certe contendit, hae ſquamulae vel glandulae ſaepius factitiae tantum ſint, et poſt euulſionem petalorum vel ſtaminum oriantur, prout idem in *Heſperide*, *Raphano*, et *Sinapi* frequentius obſeruauit. Conſtantiorem ergo et eſſentialem characterem fructum ſuppeditare affirmat, ſecundum hunc ergo omnes plantas huc referendas diſtribuit, earumque deſcriptiones ita nobiscum communicat, vt, characterem generico indicato, ſynonyma ex HALLERO et CLUSIO praecipue adducat, et ſub finem in pleriſque nonnullas obſeruationes addat. Interdum etiam, quando cognouit, plantam ob characterum differentiam ſub genere quodam cognito iamiam ſtare non poſſe, nouum genus, nomenque effecit, et
p. 2. plantam adiecta icone delineare curauit. Sic v. c. *Thlaspi* I. *montanum* CLUSII neque ad *Clypeolum*, neque ad *Lunariam* et *Iſatidem* LINN. referri poteſt, quoniam ſilicula orbiculata, apice integra, ſepto deſtituta, ſtyloque dubio ab his generibus differt, nouum itaque genus conſtituit plantamque *Boleſchiam* dixit, cuius folia radicalia petiolata cordata, caulina amplexicaulia lanceolata, in icone depin-
p. 5. guntur. Ex *Lepidii* genere duas potiſſimum ſpecies accuratius deſcripſit atque delineauit, quarum vnam vſitato nomine HALLERI, alteram LINNAEI appellat; prior petalis calyce longe maioribus, ſilicula tricuſpidi mucronata, foliis carnoſis pinnatis, pinnis lanceolatis, extima ouata inſignitur, et ab omnibus aliis *Lepidiis* LINN. ſilicula integerrima, ſtylo notabili diſtinguitur; altera petala habet calyce vix maiora, et ſiliculam, ſtylo carentem. Cum ergo

ergo prior ſub *Lepidio* LINNAEI ob characteris differentiam ſtare non poſſit, et ab HALLERO iamiam deſcripta fuerit, ei quoque nomen HALLERI Noſter impoſuit. *Drabae* genus ex eſſentiali charactere in valuularum planarum membranacearum ellipſi inueniendo definitur. Species quaedam *Auſtriaca* dicta, et in icone depicta, roſulas habet hirſutas, incanas, raro dentatas, folia ad caulem ampliora, ſemper dentata. Alia *Pyrenaica* dicta, et in eadem tabula delineata, ſcapum habet nudum, folia cuneiformia trifida, habitum minimum, radicem compoſitam, et *Saxifragae* inſtar in plures ceſpites et tubercula diuiſam. *Naſturtii* character genericus in ſilicula apice integra, ſepto ſtylo gaudente, ſtylo ſepto proprio, valuis concauis hemiſphaericis conſiſtit, duae ſpecies, ſaxatile nempe naſturtium et Auſtriacum, depinguntur; prius folia habet hiſpida, longe petiolata, ſerrata pinnata; alterum vero folia glabra, ſeſſilia ſerrata, fructum minimum, et radicem lignoſam perennem. *Camelina* a Noſtro pro nouo genere aſſumitur ob ſiliculam apice integram, ſtylo et ſepto gaudentem ſed ſtylo valuis proprio. Habitus eſt hirſutus, folia ſcabra ſagittata, leuiter dentata, florem habet exiguum obſolete luteum. Creſcit in agris inter linum. *Clypeolae* character deſumitur ex valuis ſcutiformibus. Speciei cuiusdam *Alyſſoides* dictae character eſſentialis in calyce perſiſtente conſiſtit. *Thlaſpi* diſtinguitur in ſpecies, quae petala habent aequalia, et quorum exteriora maiora ſunt. Vt autem ex ſynonymis cognoſcimus, Cl. Auctor praecipue in vltima ſubdiuiſione *Iberidem* cum *Thlaſpi* coniunxit. Plantas antiſcorbuticas ſiliquoſas Noſter ſubdiuidit in eas, quarum calyx plus minusque longitudinaliter conniuet, vt in *Dentaria*, *Eryſimo*, *Heſperide*, *Turritide*, *Raphano*, et *Braſſica*, et quarum calyx plus minusque hiat, vt

p. 17.

p. 19.

in

in *Arabi, Cardamine, Cheiranthо, Sinapi et Siſymbrio*. Omnia *Eryſima* ſiliquam maturam quadrangularem habere adfirmat, ideoque eandem pro charactere generico eſſentiali aſſumit. Quoniam vero Auctor glandulas nectariferas, hoc genus alias diſtinguentes, prorſus negligit, fieri non poteſt, quin exinde confuſio ſynonymorum oriatur, ita vt *Cheiranthi et Heſperidis* ſpecies aliorum cum hoc genere coniungat. *Eryſimum* enim *Pannonicum* eſt *Cheiranthus Eryſimoides* LINNAEI; et *Eryſimum ramoſiſſimum* Noſtri eſt *Cheiranthus Chius* LINN. quam plantam idem in horto Cliffortiano olim *Heſperidem* caule
p. 45. ramoſiſſimo dixit. *Arabis Thaliana*, ſecundum deſcriptionem iconemque a Cl. Auctore datam, folia habet radicalia petiolata lanceolata, partim integra, partim dentata, ideoque definitioni LINNAEI repugnat, qui huic ſpeciei folia integerrima attribuit. *Arabis bellidifolia*, vt ex icone videmus, folia habet villoſa, radicalia longe petiolata, caulina ſubamplexicaulia; incertus vero Auctor eſt, num haec planta Naſturtium Alpinum bellidis folio maius BAUHINI ſit? Inuenit eandem paucos ante annos in montibus inter pediculares. *Cardamines* genus, ſecundum Noſtrum, calyce hiante, ſiliquarum valuis ſurſum
p. 50. reuolutis, ab omnibus reliquis diſtinguitur. In *Sinapi* calycem patentem, ſiliquam dehiſcentem, cornu aut fere ſiliquis aequale, aut maius pyramidale leuiter bifidum pro charactere generico aſſumit, et HALLERO vitio quaſi fert, quod ille, LINNAEI veſtigiis inſiſtens, ad glandulas nectariferas in hoc genere reſpexerit, cum eas hanc plantam neque a *Raphano*, neque a *Braſſica* diſtinguere poſſe Noſter affirmet.

Faſc. II. Alter faſciculus continet claſſem plantarum multiſtaminum. Poſtquam Cl. Auctor in praefatione multa de ſexuali ſyſtemate LINNAEI diſputauit,

uit, et, quantis anomaliis illud obnoxium ſit, comprobauit: conſultius tandem duxit, has fabulas *Linnaeanas*, vt dicit, negligere, et naturam in ſuis mutationibus conſiderare, et ex ea conſtantiores notas pro definiendis generibus repetere. Itaque multitudinem ſtaminum vt characterem claſſis aſſumit, multiſtamines autem dicit plantas, quae viginti et plura ſtamina habent; icoſandrias et polyandrias LINNAEI ad hanc claſſem refert, dodecandrias autem, vt valde variantes, reiicit, ne confuſio in determinatione ſtirpium exinde oriatur. Claſſem hanc in quinque ordines ſubdiuidit, 1) in plantas *calycifloras*, quae ſtamina multa calyci inſerta habent; has denuo diſtinguit in eas, quae ſemina nuda, et incluſa, poma vmbilicata, et vmbilico deſtituta gerunt; 2) in *multiloculares*, vbi ſtamina multa, et capſula ſicca multilocularis deprehenditur; 3) in *multiſiliquas*, quae ſtamina et ſiliquas multas habent, huius ordinibus denuo nonnullas ſubdiuiſiones addidit, dum nimirum conſiderat plantas ſiliculis clauſis liberis, ſiliculis clauſis receptaculo communi exceptis, et ſiliculis apertis; 4) in *rhoeades*, quae ſtamina multa et vim ſoporiferam habent; 5) tandem in *columniferas*, quarum multa ſtamina in columna poſita ſunt. Breuiter indicemus, quae in his ordinibus notatu digna nobis videntur. *Geum* prima planta inter calycifloras, ſe- p. 5.
minibus nudis. Character genericus conſiſtit in calyce monophyllo octo vel decemfido, et ſeminibus caudatis. Quod non omnia *Gea* ſecundum LINNAEUM ſemina caudata piloſa habeant, comprobat Noſter exemplo *Gei vrbani*, quippe cuius ſemina nuda, nec vnquam piloſa ſint. *Geum chamaedryfolium* (quod *Dryas* eſt), differt a reliquis huius generis ſpeciebus flore erecto octopetalo, fructu oblongo, ariſtis lanigeris. *Potentillam*, *Comarum*, p. 9.

Tormen-

Tormentillam, et Fragariam coniunxit, vnumque genus *Fragariae* effecit. In adiecta tabula duae exhibentur ſpecies *Fragariae*, vnam triuiali nomine vernam inſigniuit, quae folia habet ternata et quinata ſubtus cana, caulina ternata; altera folia gerit radicalia quinata, obtuſe et alte ſerrata; floralia
p. 25. ſuboppoſita trifida, et petala maculata. Inter plantas calycifloras, ſeminibus incluſis, *Rubus* vnicum genus eſt, cuius character in calyce quinquefido, petalis quinque, bacca compoſita, acinis monoſpermis conſiſtit. Eiusdem ordinis plantae, ſed ob poma vmbilicata a Cl. Auctore in nouam quandam ſub-
p. 27. diuiſionem redactae, *Roſae* ſunt, *Meſpilus* et *Sorbus*. In his generibus ſtabiliendis plures difficultates eſſe monet, quoniam *Meſpili* potiſſimum et *Sorbi* characteres vix ſatis diſtingui poſſunt, praeterea quae ea genera hiſce valde affinia inueniuntur. Ex ſolo itaque fructu notas diſtinctiuas deſumit, et cum cognouerit Cl. Auctor, *Pyrum, Malum, Cydoniam* et *Meſpilum a Sorbo* non eſſe diſtincta genera, ea etiam ad *Sorbi* genus retulit. *Roſae* character conſiſtit in calyce carnoſo quinquefido, petalis quinque, fructu vmbilicato, coriaceo, colorato, ſeminibus hiſpidis,
p. 36. calycis interiori lateri affixis. *Meſpilus* autem definitur ex calyce quinquefido, petalis quinque, fructu vmbilicato, diſſepimento et loculis carente. *Cotoneaſter*, vt huius generis ſpecies, adiecta icone delineatur, et diſtinguitur foliis ouato acuminatis, integerrimis, ſubtus lanatis, bacca globoſa. Tria quatuorue ſemina in omni fructu *Cotoneaſtri* ſe reperiſſe teſtatur Noſter, licet LINNAEUS et CLUSIUS baccam quinqueſpermam deſcripſerint. *Sorbi* character genericus eſt fructus vmbilicatus, loculis inſtructus, calyx quinquefidus, et petala quinque. Vna huius generis ſpecies, *Chamaemeſpilus* dicta, et in icone delineata, caulem habet fruticoſum,

folia

folia oblongo oualia ſerrata, fructum ouatum, biloculárem. Cum auctorum ſententias de hac planta diuerſas repererit Noſter, eam accuratiſſime disquiſiuit, et tandem inuenit, fructum non baccam poſſe nominari, neque pentaſpermum eſſe, vt LINNAEUS deſcripſit, nec vnilocularem, ſed ſolo habitu fruticoſo, fructu biloculari, et ſeminibus duobus, ab omnibus congeneribus facile poſſe diſtingui. *Sorbus Aria*, in icone depicta, fructum habet pomi formam repraeſentantem, et ſemper in duobus loculis quatuor ſemina continet, quapropter vitio fert Noſter LINNAEO, quod ille huic plantae duo ſemina adſcripſerit, eandemque ad *Crataegi* genus retulerit. *Sorbo domeſticae* in figura delineatae fructum quinquelocularem Cl. Auctor attribuit. In *Aucuparia* autem quandoque in vno loculo duos fructus ſe reperiſſe teſtatur. *Pyrus* tandem, *Malus*, et *Cydonia* vt ſpecies ad hoc genus referuntur, et a ſe inuicem diſtinguuntur, fructu turbinato quinqueloculari, in *Pyro* obſeruando; fructu ſphaerico quinqueloculari, *Malo*, et fructu lanato quinqueloculari *Cydoniae* proprio. Inter plantas calycifloras, quarum poma p. 58. vmbilico deſtituta ſunt, *Prunus* vnicum eſt genus, cuius characterem Noſter ex calyce quinquefido, petalis quinque, drupae nuce ſuturis prominulis deſumit. Sequitur ordo ſecundus plantarum mul- p. 61. tilocularium, in quo *Tiliam*, *Hypericum*, *et Ciſtum* Cl. Auctor deſcribit. Differt *Hypericum a Tilia* filamentis in manipulum ſeſe decuſſantibus et fructu conico triloculari. *Ciſti* autem character genericus in calyce quinquefolio, foliolis duobus minoribus, petalis quinque caducis, ſtylo vnico, ſtigmate orbiculato, capſula triquetra triualui conſiſtit. Huius generis tres ſpecies delineari curauit Auctor, *Ciſtum* nimirum *Helianthemoidem*, qui a *Ciſto Helianthemo* vix, niſi habitu minori, et foliis et caule leuiter pilo-

ſis differt, *Ciſtum ſerpillifolium*, qui folia in margine parum ciliata habet, et *Ciſtum alpeſtrem*, qui ſuffruticoſus procumbens exſtipulatus eſt, et folia gerit oppoſita ciliata, calyces laeues. Tertius ordo continet plantas multiſiliquas. Inter eas, quae ſiliculas liberas non dehiſcentes habent, *Thaliſtrum* et *Spiraeam* Noſter recenſet, iis autem, quae ſiliculas non dehiſcentes, receptaculo vero communi exceptas habent, *Adonidem*, *Ranunculum*, *Anemonem*, *Clematidem* et *Atragenen* adnumerat. *Ranunculi* characterem eſſentialem in fouea nectarifera ponit. Inter icones duae occurrunt, quarum vna *Ranunculum Breynium* dictum, ſiſtit, cuius folia profundiſſime tripartita, hirſuta, et receptaculum lanuginoſum eſt; altera *niualem* repraeſentat, qui ex radice tuberoſa caulem ſubuniflorum, folia radicalia palmata, caulina multipartita ſeſſilia, lanuginoſa emittit,

p. 83.

p. 100. *Anemonae* pro characterе generico calycem nullum, ſed loco eius aut inuolucrum, aut terna folia Noſter adſcribit. Vna ſpecies, *narciſſiflora* dicta, folia bilobata, profundiſſime diuiſa, flores vmbellatos, et ſemen depreſſo ouale nudum, in icone depicta habet, altera, *alpina*, et in eadem tabula delineata, ex radice pauca tantum folia multipartita, et caulem nudum emittit, cui ſuperius inſiſtit inuolucrum, ſeminibus piloſis, longiſſime caudatis, coronatum.

p. 111. *Atragenes* character genericus conſiſtit in calyce et quatuor facto foliolis maximis. Corolla duodecim, pluribus petalis, minoribus. Semine cauda plumoſa arcuata. Eam ſpeciem, cui LINNAEUS triuiale nomen *alpinae* impoſuit, Cl. Auctor ſpecifico nomine *Clematidem* appellat, eiusque deſcriptionem paullo exactiorem iconemque elegantem exhibuit, e qua cognoſcimus, plantam hanc habitu ſcandente, foliis duplicato ternato ſerratis a congeneribus optime eſſe diſtinctam. Eiusdem ordinis plantas,

quas

quas Cl. Auctor vltimo loco in eas, quae siliculas dehiscentes habent, subdiuidit, considerat, quatenus florem habent irregularem, prout *Aquilegia*, *Aconitum*, *Delphinium* et *Nigella*, et regularem, vt *Helleborus*, *Trollius*, *Isopyrum*, *Poeonia*, *Caltha*. Quartus ordo exponit plantas rhoeadas. Hunc ordinem ex fragmentis ordinum naturalium LINNAEI retinuit Noster, et pro charactere assumit cum ZINNIO calycis folia decidua, petala patentia, et vires soporiferas; monet tamen, hunc characterem non omni numero esse absolutum, quoniam calyx in *Nymphaea* persistat, nec omnibus plantis huc referendis vires soporiferae possint adscribi. Genera in hoc ordine definita sunt *Papauer*, *Chelidonium*, *Glaucium*, *Actaea* et *Nymphaea*. Inter tres papaueris species, quas Cl. Auctor descripsit, vnam delineari curauit, *Papauer* nimirum *alpinum* dictum, cui triuiale nomen BURSERI imposuit; distinguitur a reliquis foliis bipinnatis, scapo nudo vnifloro, et capsula hispida. Quintus tandem et vltimus ordo sistit plantas columniferas, quarum filamenta staminum in tubum compositum columnarem coalita sunt, et calyx duplex deprehenditur, vt in *Malua*, cuius calyx duplex, exterior triphyllus, et capsulae plurimae monospermae, in *Althaea*, cuius calyx exterior nouemfidus, et in *Lauatera*, quae calycem habet exteriorem trifidum, et interiorem quinquefidum, cum capsulis plurimis monospermis. p. 127. p. 130.

IV.

Descriptio anatomica embryonis obseruationibus illustrata. Diss. inaug. Auctore HENR. AUG. WRISBERG. Gotting. 1764. ex officina Schultziana. 4. pl. 7½. tab. aen. 1.

Continet hic libellus quatuor foetuum abortu reiectorum accuratissimas descriptiones. Quamquam enim in figura quinta embryo aliquis deformis delineatur, eius tamen descriptio frustra in hoc opusculo quaeritur, cum a Cl. Auctore in
p. 1. aliud tempus reseruata sit. Prima obseruatio et descriptio foetus trium circiter mensium a foemina ictero et febre quotidiana laborante secedit. Praemissa morbi matris historia, externam dat Cl. WRISBERG corpusculi foetus descriptionem. Inter chorion et amnion vbique gelatinam copiosam tremulam deprehendit, quae aliquot in locis digiti minimi crassitiem aequabat. In cerebri membranis, choroidea et ciliari corpore, vasis, cartilaginibus, ossibusque vbique flauedinis indicia apparebant, cuius caussa sine dubio in humoribus matris, per icterum mutatis, quaerenda est. Albuginea tamen, quae, vti notum est, in adultis, ictero laborantibus, flaua esse solet, hic alba deprehendebatur. Hepar resolutum plane erat, fellea autem vesicula continebat mucum subrubellum heterogeneum. In epicrisi huic primae obseruationi adiecta, praeter alias res huc spectantes, potissimum de caussis, viam bilis naturalem impedientibus, disputatur.

p. 17. Secunda obseruatione de foetu decem septimanarum, integris adhuc velamentis incluso, agitur, qui etiam figura prima, secunda, et tertia tabulae aeneae delineatur. Tunica villosa, oui et reliqua foetus velamenta accurate describuntur. In hoc foetu

foetu inter amnion et chorion veſiculam liquore pellucidiſſimo repletam Noſter obſeruauit, ex qua longum filamentum tenue oriebatur, ſub amnio decurrens, et ad funiculi vmbilicalis in placentae ſubſtantiam inſertionem perueniens. Conſtabat vero hoc filamentum ex duobus filis inter ſe iunctis, atque ad funiculi in abdomen inſertionem iterum a ſe ſecedentibus. Horum filamentorum vnum meſenterio inſerebatur, alterum vero in membrana, duodenum ambiente, deſinebat. Similem fere veſicam et filamentum Ill. ALBINUS in annotationum academicarum Libro primo deſcripſit. Abdomen in hoc foetu vmbilicum verſus prominebat, herniaque vmbilicalis aderat. Deſcribit deinde Cl. WRISBERG viſcera tenelli huius corpuſculi, tanto quidem ſtudio tantaque elegantia, vt certi ſimus, neminem hanc deſcriptionem eſſe lecturum, quin inſignem exinde capiat voluptatem.

Tertia obſeruatio de foetu trium circiter menſium inſcribitur. Praemittitur hiſtoria morbi matris, quae fluore albo maligno primum affecta, poſtea in febrem malignam incidit, qua etiam periit. Pariter viſcerum habitum in hoc corpuſculo ſollicite Noſter deſcribit. Thyroidea glandula in duas partes a ſe inuicem diſtinctas diuiſa erat. In figura quarta, quae ad hanc obſeruationem ſpectat, renum potiſſimum teſtiumque ſitus declaratur. p. 27.

Quarta obſeruatio ad hiſtoriam foetus, quinque cum dimidio menſium, ſex digitis inſtructi pertinet. Velamenta primum deſcribuntur. Inter chorion et amnion etiam in hoc foetu tremulam gelatinam Noſter obſeruauit, quae ad extremos placentae limites ſita propriam membranam habebat, atque in chorii laminam internam continuabatur. Digito minimo in vtraque manu ſuccenturiatus quaſi digitus mediante membrana intermedia adhaerebat, p. 37.

vnico tantum internodio, nullo metacarpi osse in-
p. 46. structus, cui paruus vnguis albus insidebat. Pulmones in hoc foetu Cl. WRISBERG per asperam arteriam inflauit, eiusque rei phaenomena hic describit. Si vero diu aerem immitteret, subito in pericardium penetrauit, ita, vt illud pellucentem saccum referret, expansionemque etiam, pulmoni-
p. 50. bus iterum subsidentibus, retineret. In hoc foetu vnica tantum arteria vmbilicalis aderat, ex iliaca dextra continuata orta, quae in dextro latere sextuplo maior, quam in sinistro erat, in quo scilicet nullum omnino ad vmbilicum ramum dabat. In figura quinta, cuius descriptionem Cl. WRISBERG in huius elegantissimi opusculi continuatione daturum se esse pollicetur, foetus deformis quatuor mensium exhibetur.

V.

IOANNIS ANTONII SCOPOLI, Med. Doct. S. C. R. et Apost. Majest. Montanae Ciuitatis Idriae Physici, Entomologia Carniolica, exhibens insecta Carnioliae indigena et distributa in ordines, genera, species, varietates, methodo Linnaeana. Vindobonae, typis I. Th. Trattner. 1763. 8. Alph. 1. pl. 6.

Quod scientia rerum naturalium tot tantaque augmenta ceperit, nostraque aetate in magna sit existimatione, non adeo mirandum est, sed potius hoc, quod non, vt facile fieri potuisset, longe altius fastigium attigerit; cuius rei plures quidem possunt esse caussae, quarum praecipuas has arbitramur: primum, descriptionum multarum imperfectionem; deinde rerum in patria sponte crescentium ignorantiam. Plantarum quidem magnam semper curam botanici

botanici hac in re habuerunt, hinc tot florae Suecicae, Parisienses, Lipsienses etc. insectorum aliorumque animantium vero non item, si modo LINNAEUM et paucos alios excipias. In laude itaque est institutum Auctoris, quod insecta patriae suae e tenebris quasi in lucem protraxerit in libro suo de insectis Carniolicis, cuius nunc praestantiam, ordinem, et proprietatem paucis declarare aggredimur.

Continet hic liber insecta ab anno 1759 ad annum 1762 in ducatu *Carnioliae* ab ipso Cl. Auctore maximam partem collecta et descripta. Ingenue fatendum est, multum diligentiae descriptionibus inesse, cum ratione colorum, qui nominantur, tum partium dimetiendarum aliarumque rerum, de quibus postea. Tradita sunt multa insecta noua, multa aliter descripta, at in meliorem quasi formam redacta. Ordines et genera a LINNAEO stabilita assumsit Auctor, mutatis tamen characteribus fixisque limitibus. Neque nomina triuialia, a LINNAEO selecta, ab eo neglecta sunt, differentias tamen mutauit, vbi opus videbatur; quod saepe etiam factum est.

Praemissa praefatione, in indice quodam ordines, genera, et species indicantur, sic vno quasi adspectu, quae descripta sunt insecta, adparent. Ordines septem sunt, nimirum:

1. *Coleoptera;* alae anticae coriaceae.
2. *Proboscidea;* os proboscide inflexa.
3. *Lepidoptera;* corpus pilosum, alae squamis coloratis tectae.
4. *Neuroptera;* alae 4, aculeus nullus.
5. *Aculeata;* alae 4, abdomen vni sexui aculeo armatum.
6. *Halterata;* apice palpigerum, palpis 2 incuruis.
7. *Pedestria;* alae nullae.

Pauca occurrunt genera noua, nam reliqua omnia cum Linnaeanis nominatim conueniunt. Ad noua pertinent

Lucanus. Antennae apice dentibus 4 vno latere pectinatae, maxillae porrectae.

p. 358. *Anthras*. Roſtrum biſetum, vagina baſi retractili, medio palpigera.

Rhingia. Roſtrum triſetum, vagina vniualui, attenuata, canali oris adplicata.

Erax. Roſtrum triſetum, vagina vniualui, capite non longiore.

p. 367. *Styrex*. Roſtrum vniſetum, vagina retractili palpigera.

Hirtea. Roſtrum vniſetum, vagina retractili, apice labiata, baſi palpigera.

Sicus. Roſtrum vniſetum, vagina e medio refracta.

Quum definitionum generum ſaepiſſime magna ſit a Linnaeanis diſſenſio, ſuperuacaneum foret, de ſingulis dicere. Hic modo monemus, numerum ſpecierum in hoc libro deſcriptarum eſſe 1153.

Sequitur colorum, quibus Auctor in deſcribendis inſectis vſus eſt, explicatio, quorum diſcernendi ratio cum ea conuenit, quam P. PODA & Sa. *Ieſu* hoc experimento docuit: diuidatur orbiculus axi oſſea inſtructus in octo partes aequales, obducantur harum quaedam binis, tribus aut pluribus coloribus primariis, adhibita denique celeri et vniformi relatione vnicum colorem habebis. Colores primarii autem ſunt:

1. Cinnabarinus	-	Cinnabaris.
2. Flauus	-	Gummi guttae.
3. Caeruleus	-	Caerul. Berolin.
4. Niger	-	Atramentum Indicum.
5. Albus	- -	Ceruſſa.
6. Viridis	-	Compoſitus ex caeruleo et flauo.

Inde

Inde compoſiti v. c.

Roſatus	partes 2	Albi 6	Rubri.
Pudorinus -	6	Rub. 2	Flaui.
Luteus -	6	Flaui. 2	Nigri etc.

Porro decompoſiti v. c.

Cinamomaeus	4	Flaui. 2	Rub. 2 Nigr.
Viridanus -	4	Virid. 2	Caerul. 2 Flau.

In dimetiendis quoque partibus omnem Cl. Auctor nauauit operam, et vt nobis videtur, interdum nimia ſubtilitate; ſic apud inſecta coleoptera longitudines alarum ſuperiorum ac latitudines; apud lepidoptera, neuroptera et reliqua, quae ſequuntur, modo longitudines dictarum alarum ad pedem Pariſinum definiuntur. Rem exemplis illuſtremus v. c.

Scarabaeus Melolontha. El. long. lin. fere 7. latit. 2 $\frac{2}{3}$.

Papilio vrticae. Long. lin. 11. lat. 7 $\frac{1}{4}$.

Libellula Virgo. Long. vnc. 1. et lin. 2.

Muſca domeſtica. Long. lin. 3. p. 327.

Nouarum ſpecierum adeo magnus eſt numerus, vt, ſi omnes ſingulaeque indicandae ſint, librum potius deſcribere, quam iudicium ferre videremur; huc pertinent v. c.

Cimex Meriopterus, cuius diagnoſis eſt: Antennae articulus ſecundus compreſſus, terminatus articulis binis ſetaceis pallidis. Roſtrum pedesque citrini. p. 132.

Mutilla Saltatrix. *Acarus piger* etc. p. 314.

Sunt quoque ſpecies, quas facile quis pro nouis habere poterit, nec tamen nouae ſunt, vt araneārum ſpecies ferme omnes. In cauſſa eſt neglectus ſynonymorum. A Linnaeanis ſaepe Auctoris ſpecierum deſcriptiones diſpoſitionesque discrepant v. c.

Sic Acarus Veſpertilionis *Auct.* eſt Pediculus n. 4. apud LINNAEUM. p. 387.

Iubus Lagurus *Auct.* Scolopendra n. 1. apud LINN. p. 420.

p. 100. LINNAEUS Staphylini politi differentiam eſſentialem ſtatuit in punctis decem thoracis excauatis; monet Auctor, numerum horum punctorum a 3 - 8 valde eſſe variabilem, rariſſime decem adeſſe.

p. 120. Cimicis Mauri character ſpecificus a corporis colore petendus non eſt, qui modo obſcure ruber, modo rubro et flauicante varius, modo pallide ferrugineus. En diagnoſin Linnaeanam, quae haec eſt: Cimex ſcutello longitudine abdominis, *corpore griſeo.*

p. 389. De Acaro Muſcarum Auctor commemorat: pedes eorum aeque diſſitos, medios et poſticos craſſiores; hos vero longiſſimos et filiformes eſſe, nunquam, vt LINNAEUS, reperit.

Nouae ſpecies etiam nouis nominibus ornatae ſunt triuialibus v. c. Papilio *Achine*, Papilio *Polymeda*, Muſca *Caeſarina*, Muſca *Coloſſus*, etc. Pediculi, in vniuerſum omnes, quos deſcripſit, huc pertinent.

Quibusdam inſectis nouis in honorem praeſtantiſſimorum virorum, quibus hoc animantium genus in deliciis fuit, nomina ſunt impoſita v. c.

p. 234. Phalaena *Lambergiana;* Phalaena *Wulfeniana*, a R. P. FRANC. XAV. WULFEN *e Soc. Ieſu.* Phalaena *Podana* etc.

Inprimis aranearum ſpecies peculiaribus nominibus ab inſectorum amantiſſimis et principibus ſumtis ſunt inſignitae v. c.

Quae olim Aranea Diadema, nunc Aranea LINNAEI appellata eſt; ſic aranea REAUMURII; Aranea SWAMMERDAMII; Aranea RAII etc.

Ceterum araneae omnes ad oculorum ſitum in ordinem redactae ſunt.

Hinc et inde quoque obſeruationes quaedam ſunt inſperſae, velut de inſectorum exſtirpandorum quorundam remediis v. c.

A Veſpe-

A Veſpertilione murino Scarabaeus melolontha colligitur; autumnales morbos copioſior ſaepe praenunciare creditur; oleum infuſum cimicifugum reddere commendatur. p. 7.

Gryllos Blattasque fumum carbonum foſſilium occidere ſtatuunt. p. 103.

Grylli Gryllotalpae ſimo equino alliciuntur, porcino pelluntur. Ab incolis Carniolicis applicantur ſcrophulis discutiendis. p. 106.

Papilio vrticae etiam circa *Idriam* et alibi, vbi tamen nulla vrtica vrens creſcit, reperitur. p. 145.

Apes mellificae magna copia et ſedulo in *Carniolia*, praeſertim ſuperiore coluntur. In iisdem locis p. 303. cimex lectularius volatilis quoque occurrit, noctu domibus inuolans. Capitur plerumque foliis phaſeoli, pulmonariae aliisque aſperioribus. Necatur oleo, vt ſupra dictum, infuſo Scarabaei Melolonthae, Agarico muſcario, Actea et Nicotiana. p. 121.

Tantum de libri ratione, ex quo a partium ſtudio alienus quisque et induſtriam, et laborem et ad optimam quamque normam inſectorum deſcriptiones exaratas ſine omni dubitatione intelliget atque admirabitur.

Verum ſunt quaedam, pace tamen cuncta Auctoris dixerimus, quae, niſi fallimur, hiſtoriae naturalis intelligentem dubium reliquunt. Haeſitamus primo de nominibus triuialibus, quae dicuntur, nouis, araneis a viris doctis impoſitis; abſit, vt vllo modo inſectorum nomina, a peritis in hac re petita, contemnamus, vt potius maxime commendemus. Sed noſtra haec eſt ſententia, cum iam ab aliis, hac rerum intelligentia imbutis, nomina triuialia ſelecta ſint, non ſine magna difficultate poſſe naturae res cognoſci, nobis perſuademus. Ad quod accedit, ſi quilibet hoc mutandorum nominum ius ſuum eſſe vellet, magna incommoda et difficultates in diſcendis

dis rebus euenturas esse. Superflua quoque haec nominum innouatio esse videtur, cum iam alia insecta eruditorum nominibus sint ornata v. c. Phalaena Schwammerdamella; Ph. Reaumurella; Ph. Linnaeella; Ph. Rajella, etc. Miramur porro, cur Cl. CLERCKII *de araneis* liber ne citatus quidem sit. Nonne melius fuisset, si Auctor pediculorum nomina a loco, animalibus, vbi reperiuntur, sumsisset? Denique inopinata nobis res est, nulla, vbi commode quidem haberi poterant, synonyma aliorum Auctorum inueniri, vt adeoque de nouis Auctoris speciebus saepius dubitandum sit.

Commemorare etiam nos oportet, Cl. Auctorem suasu plurium entomologiae cultorum consilium cepisse, omnes in hoc libro descriptas insectorum species iconibus exhibendi delineatas, easque vel solas diuulgandi, vt adiici potuerint ad calcem libelli, vel addendi supplementis, quae iam meditatur.

VI.

IOSEPHI THADDAEI KLINKOSCH, Ph. et M. Doct. in alma C. R. Vniuersitate Pragens Anat. Prof. Regii Publ. ac Ord. Programma, quo diuisionem herniarum nouamque herniae ventralis speciem proponit. Pragae, literis Io. Ioseph. Clauser, 1764. 4. pl. 4½.

Postquam Cl. Auctor abdominis terminos atque viscera intra vel extra peritonaeum sita descripsit, firmitatemque parietum abdominis quam maxime differre ostendit: viscerum abdominalium mobilitatem contemplatur, quae, si aequilibrium inter partes continentes et contentas tollitur ita, vt illae extra abdominis limites cedant, herniis oriundis occasio-

caſionem ſuppeditat. *Hernia itaque*, inquit, *eſt egreſ-* p. 6.
ſus ſeu diſlocatio partis mollis abdominalis e ſede ſua naturali in cauum aliud morboſe factum. Diſtinctionem herniarum vel loci, in quo oriuntur, vel partis diſlocatae ratio praebet: differentiam in veras et ſpurias reiicit, quia hae definitioni repugnant, eas tamen recenſet. Herniae verae itaque fiunt ratione loci et ſedis, vbi vel per foramen natiuum vaſa transeunt, quorſum pertinent 1) hernia vmbilicalis, *exomphalocele*, 2) inguinalis, *bubonocele*, 3) femoralis, *merocele*, aliis cruralis, HEISTERO inguinalis externa dicta; vel vbi nullum adeſt foramen natiuum, ſed parietes tantum cedunt, quorſum ſpectat vnicum genus, hernia nimirum ventralis, *hypogaſtrocele*, quae aut externa aut interna eſt: p. 9.
ſedes priorum in dictis foraminibus natiuis ſemper certa eſt, ventralis vero herniae ſedes in omni abdominis circumferentia, exceptis foraminibus dictis. Hinc omnes ad latus vmbilici, aut in linea alba ſupra aut infra eum oriundas, ad vmbilicales ſaepius relatas hernias, ad ventrales referri cenſet Cl. Auctor, vmbilicalis herniae verum locum in vmbilico ſolum ponens. Has atque alias ventralis herniae quam plurimas ſpecies ex praeſtantiſſimorum chirurgorum obſeruationibus in notis additis collectas exhibet, quibus et ſuas adiecit. Peritonae- p. 17.
um, vi parietum abdominis imminuta aut ſublata, vel in ſaccum extenditur, vel rumpitur. Viſcera vero abdominalia, quae eſt altera diſtinctio, omnia diſlocari poſſe aſſerit, et pluribus itidem collectis obſeruationibus confirmat, nouamque ſimul herniae ſpeciem, herniam ſcilicet, ligamentum rotundum hepatis continentem, in cadauere foeminae 70 annorum a ſe obſeruatam deſcribit. Eſt porro quoad partes deuolutas hernia vel ſimplex, vno ſcilicet viſcere e ſede dimoto, vel compoſita, pluribus

viſce-

viſceribus ſimul prorumpentibus; quorſum et ſpectat hernia duplex, triplex, quadruplex cet. quarum exempla ab auctoribus denotata adiunxit. Simplex hernia denuo in incompletam, quae in viſceribus membranaceis contingit, quorum paries vnicus tantum prodit, et vel appendicularis, vt in diuerticulis inteſtinorum, vel facciformis eſt; aut in completam, vbi paries vterque prorumpit, diuiditur. Cum inſuper viſcera abdominalia plurima ſedem tam in naturali ſtatu, quam morboſo ſaepius mutent, fit, vt pluribus in locis in hernias dimoueantur ventriculus, omentum, inteſtina, veſica vrinaria, vterus, hepar, lien, de quorum magnitudine nimia vel rario et morboſo ſitu plura adduxit exempla, a ſe aliisque obſeruata. Differentiis his ex natura partium deſumptis alias vſu magis inductas et accidentales addit. Eſt itaque hernia 1) ratione cauſſae hereditaria, vel congenita, vel acquiſita; 2) ratione ſubiecti, quoad aetatem et ſexum diuerſa; 3) ratione ſtatus vel mobilis, vel adhaerens, vel denique incarcerata, inflammatione et dolore ſtipata. Inflammatio tandem, quae vel herniae mobili vel adhaerenti ſuperuenit, vel in ſaccum herniae partesque continentes, vel in partes elapſas in ſacco contentas, vel in vtrasque ſimul progreditur, ſtatum herniarum diuerſum ſimul definit.

VII.

Diſſ. inaug. ſiſtens herniarum communia attributa et partitionem. Praeſ. RUD. AUGUSTIN. VOGEL, Reſp. *Andr. Gottfr. Zimmer*. Gott. 1764. 4. pl. 4.

Ob rei ſimilitudinem, et hanc diſſertationem ſubiungimus, cuius caput primum ſiſtit *herniarum communia attributa*. Hernias veras tantum, quarum ſedes

ſedes in toto abdomine eſt, contemplatur Auctor, easque definit, eſſe *tumores a mollibus partibus abdomen cingentibus relaxatis, viſceribusque contentis e ſede ſua ad haec loca promotis, excitatos.* Viſcera poſtea, quae hernias faciunt, ortum, varietates et cauſſas exponit. Rupti peritonaei nullam conſtare obſeruationem aſſerit: ſaccus enim hernioſus, qui in ruptura abeſſe deberet, ſemper adeſt, et, ſi deficeret, aut vulnus peritonaei, aut putredinem aut veſicae herniam indicaret. Herniae, quae vel ex parte vel totae non reduci poſſunt, immobiles a Noſtro dicuntur; in his enim deſunt ſymptomata, quibus incarceratae ſunt affectae, durities, tenſio dolorifica cum alui adſtrictione, dolores aliaque. Plurimas tamen hernias immobiles demum fieri, et ſaccum hernioſum, licet viſcera deuoluta interdum reducantur, nunquam niſi in recentiſſimo malo curari, affirmat. Herniae porro non raro inter ſe vel cum ſacco concreſcunt, cuius rei rationem, cauſſas atque repoſitionis difficultatem ſimul proponit. Vberius itidem in contemplatione cauſſarum, quae hernias incarceratas faciunt, verſatur; cauſſam immobilitatis in anguſtia orificii ſacci hernioſi eiusque conſtrictione ponit, quae accedente inflammatione potiſſimum fit et augetur. Alias ſimul ſubiungit cauſſas rariores, poſt mortem ſectione demum inuentas et a variis ſcriptoribus adnotatas. Signa, ex quibus herniae cuiusuis immobilitatis cauſſa pateſcat, ambigua et maximam partem fallacia eſſe exiſtimat: immobilitatem dolorificam tamen ab inflammatione inteſtinorum exoriri, veroſimile eſſe cenſet. Hinc in hernia incarcerata remedia conuenire contendit ea, quae inflammationi, verae et vnicae cauſſae dolorificae, medentur. Curatio duplici indicatione abſoluitur: partes enim deuolutae ſunt 1) in ſedem ſuam reducendae; 2) in eadem retinendae; prius manu, p. 13.

manu, alterum vinculis faſciisque fit. Herniae im-
mobiles doloroſae, ſi manus et medicamenta nihil
amplius valent, niſi permagnae ſint, ſecentur, ſi non
dolent, intactae quieſcant, quum ob coalitionem re-
poni vix poſſint, ſectionem vero earum, ſi perma-
gnae ſunt, lethalis ſequatur effectus, et repoſitio,
quae per ſe difficilis, facile ſyncopen aliaque mala
ob maiorem elapſorum molem in abdomen re-
gendam producat. Incarceratae herniae interdum
gangraena et ſphacelo corripiuntur; rumpitur etiam
ex ſuppuratione inteſtinum delapſum et ſtercora ef-
fluunt, ſaepe lumbrici, ano tamen artificiali in ſede
herniae relicto vita ſeruatur, qui etiam, ſi paucis
balſamicis et traumaticis remediis vtuntur chirurgi,
et in curatione a turundarum vſu abſtinent, ne qui-
dem remanet, ſed interdum perfecte coit vlcus, vel
exiguum reſtat, parum foeculenti liquoris exſtillans.
Tempus, quo inteſtina elapſa gangraena et ſuppu-
ratione affici ſolent mortemque producunt, magno
pere differre, neque certum definiri, ex nonnullis
obſeruationibus adductis, neque ſectionis earunden
tempus determinari poſſe, patet. Mortis ex gan-
graena ſubſecuturae ſigna his tandem adiungit.

p. 19. In *herniarum* vero *partitione*, quam *Caput ſecun-
dum* continet, ita verſatur Noſter, vt eas in genera
et ſpecies diſtinguat. Generum characterem a
ſede, ſpecierum vero a viſceribus deuolutis deſum-
pſit, qua in re a Cl. SAUVAGES, qui a partibus
deuolutis hernias diſpoſuit, recedit eam ob cauſ-
ſam, quoniam partium elapſarum determinatio ali-
quando fallax et non niſi poſt mortem deprehen-
denda, ſedes autem ſemper certa eſt. Genera ſe-
quentia hinc Cl. Auctor ſtabiliuit:

Genus I. Hernia ventris; hypogaſtrocele. H. Zy-
balis Carpi.

II. Omphalocele; exomphalus.

III. Bu-

III. Bubonocele, cum qua cyſtocelen ſimul tradit.
IV. Oſcheocele.
V. Merocele ſ. hernia cruralis.
VI. Hernia oualaris.
VII. Hernia vaginalis.
VIII. Hernia dorſalis.

Horum generum ſpecies XLII conſtituit, optimis auctoribus, qui eas deſcripſerunt, additis, et non niſi in vulgatiſſimis omiſſis. Adponamus exempli loco ſpecies generis VII. herniae vaginalis.

Species 38. Epiplocele vaginalis. GARENGEOT *Mem. de l'Acad. de Chir. I.*
39. Enteroepiplocele vaginalis. LEVRET *obſ. ſur les Polyp.*
40. Cyſtocele vaginalis. VERDIER *obſ.* 18.

VIII.

ANTONII DE HAEN C. R. A. Majeſtatis Conſiliarii et Archiatri, etc. Pars ſeptima rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſ. Romanorum Imperatrix etc. Viennae Auſtriae, ſumptibus H. I. Krüchten, 1762. 8 mai. pl. 15. Pars octaua ib. 1763. pl. 17.

Quum has partes eadem diligentia, eruditione et iudicio, quam praecedentes, concinnatas deprehendamus, ſuperfluum arbitramur, eas lectoribus commendare. Ex iis enim, quae nunc tradimus, et harum partium praeſtantia colligi poterit.

Pars *ſeptima* quinque complectitur capita, in quorum *primo aneuryſmatis externi ſpurii* vlterior exhibetur explanatio, quod Cl. Auctor in prioribus

partibus *) iam deſcripſerat, et nunc varias obſeruationes adiungit, quae hanc doctrinae chirurgicae
p. 3. partem illuſtrant. Pictori nimirum, 25 annorum, ex infelici venae in brachio ſectione ſpurium aneuryſma contigit, cuius operationem ſequenti modo Cl. LEBER peregit. Inciſo tumore, prodibat in conſpectum corpus globoſum, congrumato ſanguine plenum, quo aperto ſanguineque abſterſo, arteria brachialis ſupra bifurcationem a latere interno ſauciata eſſe videbatur. Agaricus ideo non modo huic imponebatur, verum etiam toti vulneri ex conſilio Noſtri idem puluerisatus inſpergebatur, machinaque tortilis admouebatur. Die ab operatione decimo quinto, cum ſub quarta deligatione agaricus decideret, nihil iam ſanguinis e vulnere effluebat, nihilo minus tamen agaricus iterum imponebatur. At enim vero cum poſt duos dies denuo ille decideret, et nihil plane cruoris prodiret, arteriam iam coalitam eſſe iudicabatur, vulnus conſolidabatur, et aeger perfecte ſanatus dimittebatur.
p. 17. Alius iuuenis, 24 annos natus, in quo ſpurium aneuryſma in crurali arteria ab inflicto vulnere ortum erat, die a vulneratione vigeſimo ſeptimo, facie lurida, febri cum pulſu debiliori, tuſſicula continua pectorisque anxietate ſtipatus, et ſemimortuus quaſi ad noſocomium deferebatur. Chirurgus die ſequenti arteriae ligaturam, quam ob locum compreſſioni minus aptum, et ob ipſam plagam profundiorem, agarici applicationi praeſtantiorem indicauerat, poſthabitis omnibus, quae ab hoc conſilio auocare poterant, difficultatibus, tentabat. Die ab operatione vigeſimo facies tota vulneris gangraenoſa corticis peruuiani vſum poſtulare videbatur, qui

*) vid. Comment. hor. Vol. IX. p. 659. et Vol. XII. p. 133.

qui etiam adeo felici cum effectu exhibebatur, vt, quicquid corruptum in vulnere erat, poſt aliquot dies aut egregie ſeparatum, aut in ſanum vtique mutatum conſpiceretur. Eodem cum ſucceſſu idem remedium, cum bis adhuc gangraenae indicia cum febricula vaga et inſigni horrore ſe manifeſtarent, ipſiusque ſphaceli ſigna adeſſent, exhibebatur. Sciendum vero eſt, non modo interius Cl. viros corticem propinaſſe, ſed et toti vulneri inſperſiſſe vnguentisque admiſcuiſſe, ita quidem, vt ſeptem et dimidii menſium ſpatio extracti vnciae ſeptem, pulueris librae ſex cum dimidia, in decoctis librae triginta quatuor cum dimidia, in fomentis autem vndecim librae conſumerentur. Cum itaque in hoc p. 46.
aegro, ſi in vllo alio, inſignis corticis in debellanda gangraena virtus eluceſcat, eiusdem vindicationem aduerſus iniquos ipſius aduerſarios ſuscipit, variisque adnititur probare argumentis, quod, ſi ſperatum effectum non exſerat, id non remedio, ſed malo immedicabili, falſae indicationi, adſumentis corpori, doſi iuſto minori, aut virium neceſſariarum aegrotantis defectui imputari oporteat. Narrat, vrinas in hoc aegro binis prioribus gangraenae periodis iumentoſas admodum, pelleque pingui, craſſa, verſicolore tectas, profluxiſſe, quam primum autem cortex adſumtus fuerit, meliores apparuiſſe; at vero tertio ſuperueniente gangraenae affectu, eas ita variaſſe, vt nihil certi in prognoſi ab earum mutatione colligi potuerit. Varietas vrinae tanta erat, vt ne quidem eorum quid, quae grauiſſimi viri in diagnoſi aeque ac prognoſi obſeruarunt, indicarit, quin potius contraria omnino ſignificauerit. Agarico tandem et lamellatim oris vaſorum impoſito, et in puluere toti plagae inſperſo, meritas tribuit laudes, metumque, ne reſorptus funeſtas obſtructiones pariat, ex eo, quod vt reliqua adſtringentia, ſibi ipſi

aditum praecludendo, reſorberi non poſſit, inanem eſſe oſtendit.

p. 70. *Caput ſecundum veri aneuryſmatis deſcriptionem* continet. Quemadmodum ſaepius quidem accidit, vt nullum plane mali, quod ſubeſſe in corpore ſuſpicamur, veſtigium in aperto poſt mortem cadauere inueniatur, ſic non minus frequenter cauſſae multae in defunctis deteguntur morborum, quorum effectus homo, dum viueret, non ſentiebat. Illud ſectio cadaueris docet feminae, quam aneuryſmate laborare interno, in quarta huius libri parte*) Cl. Auctor putauerat, cuius tamen ne vlla quidem nota apparuit. Idem ſequentes obſeruationes com-

p. 82. probant. Homo, qui foliis aurantiorum a conuulſionibus liberatus videbatur, perfectam ab eo tempore, cum hiſtoriam eiusdem Noſter deſcriberet, nondum recuperarat ſanitatem; ſanus enim modo viſus pulſum habebat, qui ipſi iam tres ante morbum annos familiaris fuerat, celeriorem fortioremque, tuſſim cum exſcreatione ſeroſa aut glutinoſa, flatuumque ex vtroque gutture exploſionem enormem. His tandem ſuperueniebat extremorum intumeſcentia, tuſſis violenta, rarius purulenta, decumbendi impoſſibilitas et inſomnia; graui demum vltimo octiduo accedente peripneumonia extinctus eſt. Cadauere aperto, ſupra dextram orbitam cranium carioſum, eodemque in loco menynges accretae, ipſum cerebrum aliquantisper inde mutatum, ſerum ſub pia matre, vt in toto cerebro, ſic vel maxime in hemiſphaerio ſiniſtro effuſum, plenum choroidei muco quaſi pleni, pulmones ſubinde liuidi flaccidique, annuli aſperae arteriae et bronchiorum oſſei, cor magnum, flaccidum, extenuatum, valuulae mitrales ad marginem fere oſſeae, ſubſtantiam

*) Commentar. hor. Volum. IX. p. 659.

tiam oſſeam oblongam, phalangam primam digiti auricularis aequantem, in ipſum cor dimittentes, ventriculus decem menſuras capiens, non craſſus, viſcera abdominalia iuſto flaccidiora conſpiciebantur. In iuuene, 28 annos nato, aſthmate ſpasmodico ſuffocato, dexter pulmo diaphragmati, pleurae et iugulo accretus, ſuperius tubercula fere cartilaginea partim pure ſanioſo, partim materie dura ac ferme caſeoſa plena includens, annuli tracheae bronchiorumque rigidiores, cor ſiniſtrum reſpectu dextri robuſtum valde, ſed minus flexile, capacitate aneuryſmaticum, aorta a cordis baſi ad annulum dictum dilatata, poſt anguſta, deinceps ad iliacas vsque denuo duplo amplior, ventriculus magnus, iecur ingens, ponderoſus, ſplen durus, colon maxime coarctatum et vacuum detegebantur. p. 97.

In capite tertio de hydrope cyſtico et hydatidibus loquitur Noſter, priorisque doctrinam obſeruatione, in femina in Part. IV. cap. 3. et P. V. cap. 2. deſcripta, inſtituta illuſtrare ſtudet. Peritonaeum nimirum non modo cum partibus, in ventre ſitis, firmiter connatum, gelatinaque flaua in diuerſis cellulis incluſa plenum, vterum minorem, tubam Fallopianam dextri lateris in ſaccum, ſanie glutinoſiſſima infarctum, variosque iterum tumores continentem totumque abdomen diſtendentem detexit, verum etiam circa vmbilicum alium inuenit tumorem priori adnatum, innumeris hydatidibus compoſitum, atque has quidem in toto inteſtinorum ambitu, et in vtraque meſenterii ſuperficie ita copioſas, vt vel ipſa inteſtina vix cognoſci potuerint. De hydatidibus ipſis poſtquam varias obſeruationes lectu vtique dignas protulit, earundemque diagnoſin incertam ſaepius eſſe, propria edoctus experientia oſtendit, naturam ipſarum pathologice examinat, eorundemque ſententiam, qui ipſas aut ex glandulis degene- p. 110.

raſcentibus, aut vaſculis lymphaticis dilaceratis, aut vermibus, aut lymphaticorum valuulis, aut demum ex contextus celluloſi cellulis fieri exiſtimant, refutat, ſuam ignorantiam in hac re ipſe fateri non erubeſcit, variaque theoremata inde colligit.

p. 159. *Caput quartum* obſeruationem *inteſtini in inguine perforati, excrementis inde foras expulſis*, continet. Feminae ſcilicet, 37 annor. ſubitaneam inguinis inflammationem cum omnibus ilei morbi ſymptomatibus per quinque dies paſſae, ſexto morbi die tumor in inguine ſurgit dextro, qui ruptus die duodecimo primum oleum lini clyſmate iniectum, breui vero poſt ipſas foeces cum alimentis ſemicoctis emiſit, ipſamque inflammationem in ſphacelum iam transiiſſe, et hoc corruptam aliquam ilei partem periiſſe oſtendit. Femina poſt multas aerumnas perfectam recuperauit ſanitatem.

p. 203. *Quintum caput* complectitur *varia.* En primaria eorum! Mulier in tertio grauiditatis menſe a marito pedibus in hypogaſtrio conculcatur, vnde per reliquum geſtationis tempus venter quidem creuit, attamen adeo inaequaliter, vt gemellos includere vterus videretur. Doloribus ad partum fruſtra per ſeptem dies fatigata mulier ſubitanea enormique haemorrhagia extinguitur. Vterus in facie antica diſſectus, pollicem craſſus, vaſis numeroſis angulis amplioribusque, omnibus tamen vacuis, intertextus, dextraque ſui parte ſteatomate tredecim librarum et quatuor vnciarum obſitus conſpiciebatur. Pollex caloris cauſſam quidem attritum eſſe, eundem vero a multis aliis etiam cauſſis in animalibus intendi, obſeruatio in femina, putrida febre decumbente, comprobat. In ipſa ſiquidem, de calore intus vrente conquerente, calorem naturali ſex, octo, decem, duodecimque gradibus in thermometro maiorem Noſter obſeruauit, praeterquam quod pulſus notabiliter

biliter mutatus apparuerit. Deinde, nullam esse febrim haemorrhoidalem dicendam, contra auctorem alicuius thesis, qui eam defenderat, pluribus argumentis docere studet. Tandem dum denuo litem de exanthematibus spontaneis vel factitiis recoquit, plura bezoardicorum remediorum breuiter perstringit.

Pars octaua totidem capitibus ac praecedens P. VIII. absoluitur, quorum *primum* varia *de sudoribus in morbis acutis* complectitur. Rem, quam experientia docet, cum Hippocraticis regulis comparare, studium est vtile et iucundum; quod a Cl. HAEN saepius factum esse ac fieri, sua comprobant scripta, et hoc caput nouum exhibet testimonium. Quicquid enim HIPPOCRATES de sudoribus protulit, quod nimirum ii demum optimi sint, qui calidi ex toto corpore cum euphoria profluant, suspecti vero, qui sine rigore praegresso stillauerint, et quod aliquando, licet iis omnia bona signa sese adiungant, nihil tamen certi significent, id Cl. Auctor in femina synocho putrida decumbente obseruauit. Septimo enim morbi die sudor apparebat multus, calidus, vniuersalis, qui, quum per sex horarum spatium continuaretur, ita recreabat aegram, vt, tranquilla nocte peracta, non nisi de capitis grauitate sequenti die conquereretur. Dicti Hippocratici, quod bonum sudorem rigor antecedere debeat, memor Noster, num perfecte criticus ille fuerit, dubitabat, neque errasse, euentus confirmabat. Post haec enim per plures dies tanta saburrae copia per vomitus aluique deiectiones eliminabatur, vt solis his euacuationibus, nequaquam sudoribus, iudicata aegra videretur. Porro docet Auctor, sudores frequentiores aut continuos, vi morbi productos, nunquam pro salutaribus habendos esse, cum sanguinem, li-

quida ſui parte defraudando, ſpiſſiorem reddat, indeque obſtructiones pariat longe periculoſiſſimas. Recte hinc damnat methodum eorum, qui lectorum, cubiculorum, aeris calore medicamentisque calefacientibus morbi materiam per ſudores in acutis eiicere ſatagunt, idque exemplo Itali cuiusdam comprobat, qui putrida decumbens febre, regimine calidiore, nimiaque calidae Theae ingurgitatione ſudores ſibi eliciebat adeo profuſos, vt cum iisdem et vires et ipſa vita effluerent.

In capite *ſecundo* varia de *criſibus morborum* Noſter proponit, hasque, dum ſaepius imperfectae videntur, abſolutiſſimas, et perfectiſſimas contra vim minus integras eſſe oſtendit. Ecquis neſcit, HIPPOCRATEM aliosque viros grauiſſimos vrinas nigras ſubnigrasque, ſeu tenues ſeu cum contentis etiam nigris, ita reformidaſſe, vt, niſi abſolute lethales, ſumme tamen periculoſas pronunciauerint, et nihilo minus ſaluberrimae aliquando cum ipſis criſes obſeruantur, cum alio tempore cum bonis vtiquo ſudoribus optimisque vrinis malas admodum criſes aegri experiantur, quin imo, dum hae felicem exitum promittunt, ſuccumbant. Maxime igitur neceſſarium eſt, vt medicus de valetudinis exitu iudicaturus non in vnico ſigno acquieſcat, ſed multa colligat, et ex his, bene inter ſe collatis, demum iudicet, quid in aegro ſperari poſſit, nec ne. Quod enim de vrinis, idem etiam de reliquis cunctis ſignis valet, morbique rarius vnica ſolummodo euacuationis ſpecie ſoluuntur, licet negari non poſſit, fieri interdum, vt vno quaſi impetu per vrinas ſudoresue omnis morbi materia ex corpore eiiciatur. Magnam etiam difficultatem in determinanda criſi medico parit, quod multi aegrotantium diem, quo acuto morbo conflictari ceperint, neſciant, plurimaque ſigna, quibuscum morbi incipere ſolent, praeſentem

ſentem aeque ac futuram morbi indolem praenuncient. Neque facilius eſt ex bona criſi praeſagitu, vtrum perfecte aegrum a morbo liberatura ſit, an recidiua aliusue morbus ſequuturus. Bene hinc Cl. Auctor eam auditoribus commendat prudentiam, ne vnquam hic certi quid determinare audeant, niſi forte morbum epidemice regnantem reuerti ſolere nouerint, cum innumerae cauſſae ſint, quae aut recidiuam, aut morbi mutationem in alium aut ipſam denique mortem cum ſaluberrima criſi inducere valeant.

In *tertio*, quod inſcribitur: *de morbis acutis cum petechiis aut miliaribus, capite* ſententiam ſuam de exanthematibus his factitiis, multoties iam impugnatam, totidemque defenſam denuo repetit, nouisque obſeruationibus et argumentis corroborare ſtudet. Cuncta itaque, quae ipſi obiiciuntur dubia, quorum 13 deprehendimus, in hoc capite colligit, ſingulaque ſeorſim diluere ſatagit. Ex pluribus pauca adferre nobis libet, ne rei taedium lectores capiat. En tertium! Calidam methodum non ſolam cauſſam eſſe horum exanthematum, ex eo colligitur, quod miliaria etiam Viennae, vbi medicorum hac methodo nunc pauci vtuntur, quin imo quandoque in noſocomio, cui ipſe HAEN praeeſt, obſeruentur. Cl. HAEN vero primo nondum concedit, ab omnibus medicis Viennenſibus calidam methodum eſſe abrogatam; deinde non ſolum calida medicamenta, ſed etiam calidum aerem, diutinam aegrorum in lectis manſionem, venaeſectionem neglectam, nimiam aegrorum in vno loco copiam, haec exanthemata producere perhibet; poſtea miliaria, ſuo in noſocomio viſa, ex cauſſis extra id iam praegreſſis orta eſſe contendit, nec intra decem annos plures, quam 24, alterutro exanthematum genere affectos habuiſſe aegros, quorum 14 ea in no- p. 103.

ſocomium iam ipſi ſimul apportaſſent, reliqui autem ibi demum iis correpti fuiſſent; tandem ex omnibus his in 9 tantum eruptionem diebus criticis, in 9 aliis, diebus non criticis, in 4 aliis, diebus incertis et in 2 reliquis iam ſtatu reconualeſcentiae contigiſſe narrat, in nullo autem aegro criſeos notam, vel morbi leuamen ſe obſeruaſſe. 4) Obiicitur HAENIO, certam eruptionis exſiccationisque periodum ſeruare miliaria ſaepius, adeoque critica eſſe. Quod vero, vt ex praecedentibus liquet, Cl. Auctor negat. 5) Quum ex miliaribus retropreſſis vitae periculum oriri ſoleat, apparere dicitur, non eſſe ſymptomatica, nam id, quod tantum ſymptoma eſt, poſſe tolli ſine diſcrimine, non aeque criticum. Sed HAEN refrigerante methodo ea omnino poſſe imminui, etiam auferri, hinc ſymptomatica eſſe regerit. Noſtrum quidem non eſt officium, hanc litem componendi. Si interim dicere nobis liceat, quod ſentimus: ab vtraque parte haec res nimis acriter et infeſto animo agitari videtur: quo inde fit, vt vtriusque partis patroni, odio occoecati, quid certum ſit, vel non videant, vel videre nolint. Certum vero eſt, ineptum regimen exaeſtuans, olim vſitatum, ſaepius exanthemata haec genuiſſe, quae ſponte, natura ſibi relicta, non proueniſſent. Conſtat etiam, ex eo tempore, quo medici priorem methodum reliquerunt, ea rarius in aegris oriri, cuius rei et ipſa Lipſia noſtra, ob hunc ipſum morbum olim admodum famoſa, luculentiſſimum praebet teſtimonium, in qua ea impraeſentiarum longe rarius obſeruantur ac olim. Negari tamen non poteſt, methodum Hippocraticam, Boerhaauianam et ipſam Haenianam non ſemper exanthematum horum eruptionem poſſe praecauere, ſed eam interdum ſingularis humorum morbique malignitatis euolutae eſſe comitem; ſaepe tamen quo-

que

que ea tempore critico et maximo cum ſymptomatum leuamine prorumpere, adeoque nec ſemper eſſe factitia, nec calidae medendi methodo ſolummodo adſcribenda, ſed ſaepe critica et ſalutifera appellanda. Et nos experientia edocti loquimur et nulli dubitamus, fore, vt quilibet a partium ſtudio alienus nobiscum conſentiat.

Quartum caput complectitur *problemata de ſcorbuto.* Cur hodie notior, atque apud ſeptentrionalis maris accolas inprimis frequentior ſit ſcorbutus, disquiritur, et cauſſa eius proxima ponitur in cruore ſanguinis craſſo, ſeri vero vna parte mucoſa, altera ſpecifice acri, ſcil. muriatica, acida, alcalina, quas tamen acrimoniae ſpecies ab acrimonia humorum ſpontanea differre, ex variis adductis et inter ſe comparatis ſymptomatibus oſtenditur. Non plures et diuerſas eſſe ſcorbuti, tum marini, tum terricolarum ſpecies, ſed vnicam tantum eamque putridae indolis, ex eo colligit, quod omni ſcorbuto vna eademque remedia, alcalina quippe antiſcorbutica vel acida, vel vtraque miſta medeantur. Id ex diariis itinerum marinorum comprobat. Varias recenſet cauſſas, quae in terra boreali ſcorbutum rariorem ac mitiorem reddiderunt, num vero eaedem et marinum tollere queant, ſcire intereſt, vndenam iſte in nauibus? Aerem marinum, humidiorem atmoſphaeram, ſalita et vegetabilium penuriam putat non ſufficere generando ſcorbuto, quia iisdem, licet vniuerſalibus, non omnes obnoxii ſint, ſiquidem nautae ſaepiſſime, nauium praefecti rarius ſcorbutum experiantur. Naſcitur itaque is a victu corrupto, aere humido et frigido, veſtibus et lectis tenuibus et humidis, vegetabilium ſucculentorum defectu cet. Curatur herbis calidis et frigidis alcaleſcentibus et acidis, licet vnius ſpeciei ſit morbus. Machinam Suttonianam vtilem praedicat, eam tamen p. 196.

men aeris humiditatem vniuerſalem non emendare, neque ſcorbutum praecauere poſſe, credit. Contra Cl. PRINGLE monet primo, non eſſe ex acore perceptо ad acidum cochleariae concludendum; experientia ſe edoctum eſſe, tum vegetabilia alcalina, tum iura carnium, ſi certo gradu corrumpuntur, acidi quid redolere; fugax vero eſſe hoc acidum, breui in alcalinum abiens; deinde eum non diſtinxiſſe ſatis inter fermentationem et putrefactionem, inter putrida et alcalina, quippe putridum cum acidis non efferueſcit, priusquam in alcalinum vergit; inde cochleariam, naſturtium cet. ob acre iis inſitum recte vocari putat remedia calida alcaleſcentia. Succulenta vegetabilia ſale condita in doliis ſeruari ſuadet. Aeris puri, ſicci et tepidi vtilitatem in curatione concedit, eum tamen hanc abſoluere poſſe negat. Cauſſa citae curationis nautarum in larga remediorum ingeſtione, tardae vero terricolarum in parca medicamentorum aſſumtione poſita eſſe, Noſtro vero ſimile videtur.

p. 240. *Caput quintum* de *machina ad curandum ileum deſperatum* agit, et epiſtolas duas Cl. IO. DE VIDEMAR, Practici Mediolanenſis, ad Cl. HAENIUM datas, continet, in quibus cum vſus eius tribus aegris, iliaca paſſione laborantibus, profuiſſe euincitur, tum obſeruata in denatis et experimenta in cane viuo inſtituta traduntur. Machina haec, clyſteris loco adhibenda, haud abſimilis eſt ei, quae ad extinguenda incendia deſcribitur apud Cl. MARTIN in *Grammatica ſcientiarum;* cuius ope aqua tepida ad plures libras iniicitur, vt motus periſtalticus, praeſente vomitu ſtercoreo inuerſus, reuocetur. Noſter itidem plura in canibus viuis cum hac machina inſtituit experimenta, quibus conſtitit, vim continuatam ſuperaſſe reſiſtentiam valuulae coli, et vomitus effeciſſe. De vermibus vna cum aqua a canibus reiectis

reiectis atque circa actiones vitales quaedam notantur; tandem corollaria 14 inde ducta finem libri faciunt.

IX.

Diſſ. inaug. anat. de ſtructura mammarum ſexus ſequioris nuperrimis obſeruationibus ex experimentis ſuperſtructa. Praeſ. ANDR. WESTPHAL. P. P. O. Auctore *Alex. Bernh. Kölpin.* Gryphiswaldae, literis Röſenianis. 1764. 4. pl. 5. tab. aen. 2.

Elegantiſſimum hoc opuſculum, praeter aliorum auctorum obſeruationes collectas, varia quoque notatu digna planeque noua continet, quae Cl. KÖLPIN, Cl. WALTHERO, theatri anatomici Berolinenſis Proſectori, ſe debere fatetur.

Papilla mammae muliebris ex ſola condenſata et plicata cute externa fit, fibraeque NUCKII, KEILII, WINSLOVIIque non adſunt. Interna papillae pars ex multa tenaci quidem, ſed ſatis molli tela celluloſa componitur, quae tubulos lacteos reuincit. Nihil itaque intus continet, quod cauernoſum ſiue ligamentoſum dici mereatur. p. 7.

Hinc erectionem papillae in libidine vel ex quacunque irritatione Cl. KÖLPIN negat, corpore ſcilicet cauernoſo, ſine quo nulla erectio fieri poteſt, deficiente; quamquam concedit, foeminas voluptatem ſentire ex contrectatione mammarum, quae voluptas tamen ſyſtematis neruoſi irritati tantum effectus eſt. p. 8.

Arteriarum mammae hiſtoriam ſecundum HALLERUM, venarum vero ſecundum WINSLOVIUM tradit. Neruos vero mammae, ab aliis Auctoribus fere neglectos, ex Cl. WALTHERI obſeruationibus, qui ſingularem in iis diſquirendis diligentiam adhibuit, deſcribit Noſter. p. 17.

ſter. Nerui autem mammae duplicis ordinis ſunt, cum alii ad cutem tantum, alii ad ipſius mammae ſubſtantiam interiorem procedant. Omnes vero thoracici anteriores nuncupantur, et a Noſtro in neruos thoracicos anteriores internos. et externos diuiduntur. Oriuntur communi origine a neruis dorſalibus cum radicibus nerui intercoſtalis iunctis, ea ratione, vt neruus hic coſtalis, ad marginem coſtae procedens, in media coſtae parte intercoſtales muſculos perforet, et *exterior thoracicus* fiat, atque horum in vniuerſum ſex numerentur. Qui vero ex trunco, magis antrorſum procedente, rami inter cartilagines coſtarum tandem procedunt, ii *thoracici interni* a Noſtro dicuntur. Hos omnes ſubtiliter disquirit, eorundemque diuiſiones vlteriores et fines examinat.

p. 25. Vaſa lymphatica mammarum tam ex cauis tubulorum lactiferorum, quam ex tela celluloſa, glandulis minoribus, ex quibus mammae componuntur, interiecta prodeunt. Colliguntur in ſuperficie mammae poſteriori in ramos maiores, ad glandulas conglobatas et ex iis procedunt, ad plexus lymphaticos maxillares in ſubclauias venas tandem inſertos, quos MECKELIUS deſcripſit, et vti Noſter refert, etiam in tabula aeri inciſa, nondum tamen publi-
p. 27. cata, delineauit. Mammae, ex experimentis Cl. WALTHERI, tot diuerſis a ſe inuicem conſtant glandulis, quot numerantur in papilla ductus excretorii. Omnes vero hae glandulae arcte inter ſe cohaerent, nullaque arte a ſe inuicem ſeparari poſſunt. Nulla tamen anaſtomoſis aut commercium inter tubulos lactiferos, aut inter diuerſas glanduloſas partes exiſtit. Hinc Noſter, cum nulli acini a ſe inuicem ſeparari poſſint, neque vnicus tantum ductus
p. 29. excretorius adſit, concludit: mammas non ad glandulas conglobatas pertinere, ſed eſſe corpus glandulo-
ſum

duloſum peculiaris generis. Tubulorum galactophororum ſemper quindecim numerantur, conſtanti numero. Eorum tamen tredecim tantum omni ſtudio et diligentia repleri poſſunt. Nam duo vltimi, ad ſupremum et externum papillae ambitum collocati, ſubtiliores ſunt, quam vt repleri queant.

In tabula aenea prima mammae anterior facies, cute et pinguedine detractis, tubulisque ipſis mercurio repletis delineatur. In tabula ſecunda poſterior ſuperficies traditur, in qua vaſa lymphatica potiſſimum ad plexum lymphaticum axillarem progredientia apparent, quae pro parte ex ipſis tubulis galactophoris oriuntur.

X.

Diſſ. inaug. med. ſiſtens Pylorum anatomico phyſiologice conſideratum. Auctore HENR. PALMAT. LEVELING, Treuir. Argentorati, typis I. Henr. Heintzii. 1764. 4. pl. 4. tab. aen. 2.

Primo capite Cl. Auctor de fabrica pylori ita agit, vt iis, quae ab aliis ſcriptoribus de hac parte dicta ſunt, breuiter enarratis, ſuas obſeruationes proponat. Membrana exterior pylori eſt productio peritonaei, per omnem ventriculum diffuſi, quae tamen tenuis eſt, et cum ſubiecta ſecunda tunica tam arcte cohaeret, vt ſine dilaceratione ſeparari nequeat. Ad latera immittuntur in eam ligamenta pylori vulgo dicta. Membrana muſculoſa ſemper ad pylorum craſſior eſt, duplicisque ordinis fibras, exteriores longitudinales, interiores circulares habet. Longitudinales validam faſciam carnoſam referunt, et pylorum ſupergrediuntur, atque ſupra duodeni conuexitatem pergunt, vbi inter inteſtini

p. 7.

p. 8.

fibras

fibras circulares euaneſcunt. Circulares non circulos integros efficiunt, ſed finibus ſuis cum fibris ſibi ſimilibus anſarum in modum nectuntur. Harum circularium fibrarum fabricam ſubtiliter Noſter deſcribit, inprimis vero modum, quo cum fibris duodeni coniunguntur, explicat. In neruea pylori tunica glandulae folliculoſae ſedent, tanta quidem in copia, vt pylorum ex meris folliculis quaſi compoſiti diceres.

p. 18. In altero capite, quod inſcribitur: *de vi et actione pylori* in ingeſta, duplicem pylori vim facit, *retentricem*, quae alimenta non rite praeparata in ventriculo retineat, et *expultricem*, qua alimenta, in pultem redacta virium ventriculi ope et liquorum huc affluentium ad inteſtina elabi permittantur. Haec a fibris muſcularibus ventriculi pendet, quibus ſumma irritabilitas ineſt. Circa retentricem vero pylori vim Cl. LEVELING varia experimenta inſtituit, tum in cuniculo, tum in humano quoque cadauere, quae docent, ventriculo cibis repleto, valuulam pylori totam clauſam eſſe, digitoque in ventriculum adhuc calentem immiſſo, ad duodenum penetranti reſiſtentiam opponere, eaque ſuperata, valp. 22. uulam hanc ſe iterum perfecte claudere. Situ etiam ventriculi pleni ad retentionem ciborum aliquid confert. Repletus enim ventriculus orificium ſuum ita contra duodeni tubum applicat, vti accurate Noſter in experimentis ſuis obſeruauit, vt et pylori oſtium hac appreſſione clauſum maneat, et omnis ciborum impediatur exitus. Accedit ad impediendum nimis celerem ciborum e ventriculo egreſſum compreſſio hepatis et plica duodeni, aliaeque p. 25. cauſſae, a Noſtro explicatae. Quando vero rima duodeni aperitur, tunc fibrae quoque longitudinales actione ſua ad hunc motum praeſtandum concurrunt. Dum enim ſe ſupra molem intus haerentem

tem contrahunt; ventriculi extremitatem diducunt quoque, et ampliant, quo cibi eo melius pylori reſiſtentiam ſuperare poſſint.

Tabula aenea prima adiecta duodeni et ventriculi portionem in aqua explicatam et fluitantem ſiſtit, per minorem curuaturam ſectam. Hac ratione ruga pylori modusque, quo ea ex variis tunicis formatur, optime in conſpectum prodit. In altera tabula portio duodeni et ventriculi inuerſa, ablataque tunica villoſa et neruea, delineatur, quo fibrae circulares eo melius ſeſe conſpectui offerant.

XI.

Verſuch vom Daſeyn des Eiſens im Carlsbader Brudelſteine, in einem Sendſchreiben an den Herrn D. GOTTLOB CARL SPRINGSFELD *etc. Dresden* 1763. 8. pl. I.

h. e.

Epiſtola ad Virum Cl. G. C. SPRINGSFELD data, ſiſtens experimentum, quo probatur, ferrum lapidi ſeu topho fontis feruidioris thermarum Carolinarum ineſſe.

Notum eſt, Cl. HOFFMANNUM et BERGERUM thermis Carolinis ferri materiem adſcripſiſſe, iam vero Cl. SPRINGSFELD per experimenta non reperiiſſe. Vt in dubia hac re, quid certum ſit, definiri poſſit: Cl. SPRINGSFELD huius rei inueſtigationem et aliis viris commendauit. Cum itaque HILLINGHAMMERI, medicinae tunc temporis ſtudioſi Lipſienſis, qui Auctor eſt huius epiſtolae, exiguam in arte chemica peritiam haberet cognitam, auctor ei fuit, vt in hanc rem inquireret. Quid ille igitur per varia et repetita cognouit experimen-

ta, hic exponitur. Praecipuum vero experimentum hoc eſt. KLINGHAMMERUS nimirum tophum iſtarum thermarum in mortario vitreo tenuiſſime comminuit, pulueremque cum oleo oliuarum in paſtam redactum in crucibulum immiſit. Eum vero ignis gradum excitauit, vt maſſa flammam conciperet, qua excitata, crucibulum ab igne remouit, donec flamma ſponte exſtingueretur. Id aliquoties repetiit, vsque dum nulla flamma appareret. Tandem crucibulum, externe tantum candeſcens, ab igne abſtulit, eoque frigefacto, maſſam in mortario vitreo iterum comminutae magneti admouit, cuius ope magna copia particularum mouebantur, eidemque adhaerebant. Ferrum itaque ineſſe concludit. Monet autem, nunquam maſſam illam igne fortiori tractandam eſſe: experientia enim edoctus deprehendit, omne phlogiſton iterum conſumi, et meram terram relinqui, a magnete nunquam attrahendam. Tandem etiam aſſerit, aquam thermarum Carolinarum ſubſtantiam martialem continere. Ope enim alcali, in aquis his contenti, ſubſtantiam hanc ſolutam eſſe, ideoque in vaſa minutiſſima delatam, vim roborantem leniorem praeſtare, colligit.

XII.

Della Inoculazione del Vajuolo Trattato di SAVERIO MANETTI, Medico del Collegio Fiorentino. In Firenze, appreſſo Andrea Bonducci 1761. 4. Alph. 1. plag. 11.

h. e.

Tractatus de inoculatione variolarum, Auctore XAVERIO MANETTI.

In libello hoc conſcribendo Cl. Auctor non medicis, de fundamentis artis ſalutaris iam certo perſuaſis, nec iis, qui indocti imperitique ſunt, nec argumentis conuinci poſſunt nec volunt, ſed iis tantum vtilis eſſe voluit, qui de praeſtantia methodi artificialis variolas excitandi argumentis facile explicandis inſtruendi ſunt. Tractatus vero in quatuor ſectiones diuiſus eſt, in quarum *prima* rationes politicae, obſeruationes et tentamina recenſentur, quibus praeſtantia methodi variolas inoculandi declaratur; in *ſecunda* rationes phyſicae et mechanicae, quae inoculationem commendant, adducuntur; in *tertia* varia dubia proponuntur, et obiectionibus eorum, qui inoculationi minus fauent, reſpondetur; in *quarta* demum obſeruationes et monita practica adduntur, quae methodum inoculationis, morbos inde oriundos, praeparationem et ſelectum hominum, ad inſitionem aptorum, concernunt. Nos ex his ſparſim quaedam adducturi ſumus, quae, etiam ſi non prorſus noua ſint, ideam tamen operis ſiſtunt.

In ſectione prima igitur Noſter colligit omnes p. 1.
obſeruationes, quae egregios inoculationis effectus declarant, et ſimul commemorat inſtituta, quae ad hanc medendi methodum vlterius perficiendam faciunt, oſtenditque, medicos, ipſos licet rationales

viſos, opinionibus vero praeconceptis occoecatos ſe huic methodo opponere, et imperitos confundere.

p. 41. In ſecunda ſectione adducit et explicat rationes, quibus parentes ad inoculationem in liberis admittendam impellendi ſunt. Scilicet nec vnicum ex tot hominibus, qui inoculationem ſubierunt, ex morbo varioloſo mortuum eſſe; paucos ex aliis morbis ſuperuenientibus periiſſe; inoculationem ſemper excitare variolas benignas, et nullum ex his
p. 49. faciem cicatricibus foedam habuiſſe. Cl. PEVERINI inoculationem ſine vlla praeparatione in puerulo tabido, ſcabie affecto, mammas matris, venerea labe affectae, ſugente inſtituit; purulentam materiam ex puero, confluentibus variolis affecto et inde mortuo, collegit, paucas tamen variolas conſpexit, et aeger breui ſanatus fuit, licet de ſequenti ſtatu huius aegri, et an ex alio morbo obierit, nihil comperit.

p. 61. Porro monet Noſter, inciſionem materiam morboſam, vlcere facto, ita ſubducere, vt, cum in peſte aliisque morbis vlcera artificialia malignam materiam auertant, illud quoque in variolarum inſitione
p. 69. exſpectandum ſit. Prouocat etiam ad inoculationis tentamina in contagioſo boum morbo, et felicem eius ſucceſſum.

p. 81. In tertia ſectione varia dubia mouet, ſcilicet inſitionem religioni eſſe contrariam; variolas inſitas non eſſe veras; homines inoculatione ad varios morbos disponi; immo inſitas interdum confluentes fieri; poſt variolas ſuperatas alios morbos ſequi; et
p. 106. breui reſponſione eadem tollere annititur. Inprimis vero dubium illud remouet, quod amori paterno contrarium ſit, liberos ſanos morbo afficere, et in periculum vitae coniicere, qua in re vtitur omnibus argumentis a Cl. CONDAMINE et aliis propoſitis, quibus oſtenditur, minus periculum eſſe in inſitis,

ſitis, quam naturalibus, et praeterea vrget, multa in medicina et medicamentis admitti, quae veneni vim habent, et in ſe nocent, licet iuſto moderamine adhibito egregios et ſalutares effectus producant.

In ſectione quarta primo de ſelectu eorum, qui- p. 144.
bus variolae artificiales applicandae ſunt, agit. Infantibus quidem conuenire multis ex rationibus confirmat, v. c. quod lympha abundant et parum rubri ſanguinis habent, quod humores in acidum vergunt, quod ſpiritus nondum concitati ſunt et omnis timor abeſt, quod in ſomnum procliues ſunt et motu non adeo exercentur, quod fibra molli et rara corporis textura inſtructi ſunt, quod calorem internum et bilem acrem non habent. Subiungit tamen et alias rationes, quae contrarium vrgent v. c. quod ad morbos cutaneos procliues ſunt, quod variis fluxibus ventris, et ſaepe dentitionis incommodis excruciantur. Inter ſeptimum itaque et decimum annum aptiſſimum tempus inoculationi ponit, et annorum pubertatis ac prouectioris aetatis incommoda recenſet. Vernale et autumnale tempus p. 160.
huic rei prae reliquis conuenire, et temperamentum ſanguineum optimum eſſe, affirmat; fomitem enim varioloſum putat partem denſiſſimam ſiue phlegmaticam lymphae ingredi, cum pallidi et laxa fibra inſtructi praecipue cicatricibus foedi reddantur. Ad inoculationem minus aptos iudicat eos, qui p. 171.
corpora male conformata habent, graciles, in varios morbos, inprimis in dyſenteriam procliues, qui ex acri lympha rubore, aſpritudine et puſtulis in facie afficiuntur, vrget tamen, nec ſcrophuloſos, niſi alia lymphae vitia coniuncta habent, nec feminas iuſto tempore menſtruatas eximendas eſſe. Quae de praeparatione et methodo inſitionis per inciſionem, nec non de ſelectu materiae varioloſae et pro-

p. 225. greſſu morbi proponit, non repetenda ſunt. De venaeſectione vero in progreſſu morbi adminiſtranda vel repetenda monet, eam, vrgente febre, ſumme neceſſariam eſſe, neque ea progreſſum morbi varioloſi impediri. Haemorrhagiam enim narium et fluxum menſtruum, in foeminis minus ordinato tempore accedentes, non vt ſymptomaticas, ſed vere criticas, haemorrhagias conſiderandas eſſe. Cum autem Noſter ſigna varia haemorrhagiae narium futurae exhibuerit, pulſus dicroti mentionem non iniecit, ſed hac occaſione oſtendit, Cl. SOLANO et aliorum obſeruationes, hac in re prolatas, in vniuerſum non valere, pulſum dicrotum potius, praeter haemorrhagiam narium, alias quoque excretiones ſanguineas praecedere.

p. 258. Sub finem quaedam exempla inoculationis variolarum ex voto ſuccedentis proponuntur.

XIII.

Lettera del Sig. Dott. SAVERIO MANETTI, che puo ſervire di Supplemento al ſuo Trattato ſull' inoculazione del vajuolo, diretta al Dottore GIUSEPPE ANGELO CASAGRANDE, Cremoneſe, Medico aſtante in Firenze nel Reg. Sped. S. Maria nuova. In Firenze, appreſſo Andrea Bonducci. 1762. 4. pl. 6. h. e.

Epiſtola Cl. XAVERII MANETTI, vt ſupplementum libelli de inoculatione variolarum ad Cl. CASAGRANDE.

Hanc quidem epiſtolam Cl. Auctor ad Cl. CASAGRANDE dedit, Cl. IOANNI CALVI, medico Mediolanenſi, dedicauit, et ſimul aliquot inoculationis ex voto peractae, in dedicatoria ſua

ſua epiſtola adduxit exempla. Ipſa vero Cl. MANETTI epiſtola praecipue de inoculationis tentaminibus, a Cl. NICOLAO BATTINI, medico Lericenſi, ſusceptis, agit, quae quidem omnia proſpero cum ſucceſſu finita ſunt. Inprimis autem annotari meretur inoculatio, in iuuene octodecim annorum inſtituta, qui, licet puſtulae copioſae in facie oriundae ferme habituales fuerint, et incifiones etiam viuum excitauerint dolorem, eruptionem tamen et reliquas mutationes variolarum ex voto ſuſtinuit. Cum vero inoculatio in iis familiis, quae ſubſidiis curationis non deſtituuntur, optime perficiatur, in plebe autem defectus ſubſidiorum et negligentia ſalutares effectus peruertere poſſit, optandum eſt, vt noſodochia publica conſtituantur, quo infantes pauperum definitis temporibus in iis ſuſcipiantur, et inoculationis vires accurate experiantur. Hoc quidem Florentiis fit in noſodochio St. Matthaei, in quod quotannis menſe aprili et auguſto viginti infantes vtriusque ſexus ſuſcipiuntur, et artificialibus variolis afficiuntur. Euentum autem in omnibus felicem fuiſſe, nec alium morbum ſuperueniſſe, Noſter confirmat.

XIV.

Dresdniſches Magazin, oder Ausarbeitungen und Nachrichten zum Behuf der Naturlehre, der Arzneykunſt, der Sitten und der ſchönen Wiſſenſchaften. Erſter Band. Dresden, bey Michael Gröll, 1760. 8. m. 4. Kupfert. Alph. 1. pl. 12. *Zweyter Band.* ibid. 1765. *m.* 5. *Kupfert.* Alph. 1. pl. 9.

i. e.

Promptuarium Dresdenſe, ſiue elaborationes et relationes, ad hiſtoriam naturalem, artem ſalutarem, doctrinam morum et literas humaniores pertinentes. Tomus I et II.

Quamquam prima pars huius diarii iam anno 1759 prodiit, vix tamen poſſumus, quin de eo nunc mentionem faciamus, cum hic liber inprimis ad hiſtoriam naturalem Saxoniae ſpectet, et ex hac doctrina plurima notatu maxime digna lectoribus offerat. Nos autem ex his praecipua tantum eligamus, et ea praefertim, quae ad nos pertinent. Deſcriptiones animalium, hic occurrentes, vt plurimum e multis ſcriptis compilatae ſunt.

Tom. I. p. 32. Tom. I. Part. I. N. 3. *De natura et medela morbi, anno 1759 in Saxonia graſſantis.* Cauſſa proxima erat effuſio bilis corruptae, qua ſanguis putreſcebat. Vomitorium e tartaro emetico, vel ipecacuanha cum lapidibus cancrorum, et decoctum cremoris tartari, optime profuit; in aliis, vt grauidis, herniosis, cet. rhabarbarum et decoctum cremoris tartari cum pulpa tamarindorum idem praeſtitit; ſi febris maligna non cedebat, electuarium diaſcordii FRACASTORII cum aceto, et interpoſita antiphlogiſtica, maxima cum vtilitate ſunt adhibita.

4) Re-

4) *Relatio de arbore petrificata cum eius icone*, cu- p. 39.
ius iam alias mentionem fecimus *).

Part. II. N. 3. *Relatio de monte prope Dresdam* p. 73.
ſito, vbi petrefacta deprehenduntur, Auctore S. Eſt pro-
prie ſummitas collis, a pagulo *Krebs* ad *Zehiſt* per
quartam circiter milliarii partem adſcendentis, cuius
ſtratum ſuperius eſt humus griſea, arenoſa, fertilis,
ſub qua inuenitur ſtratum griſeum, lapideo calcareum.
Summitas, ob arenoſo lapideam terram ſterilis, plu-
rimis petrefactis abundat, quorum inprimis haec
indicari merentur; 1) *tophus albus, optimus, flauis*
ſtriis notatus; 2) *arenarius cinereus, particulis maiori-*
bus compoſitus, in quo pectinitae paruae et ammonitae
haerent; 3) *arenarius cinereus, particulis minoribus,*
cum adſperſis gryphitis; 4) *arenarius vulgaris, et flauus,*
et cinereus, cum variis entrochis petrefactis, vel rectis,
vel in ramos diuiſis. Haec petrefacta in ſtratis inue-
niuntur.

6) *Relatio de maſſa carneo ſanguinea, per vias vri-* p. 108.
nae excreta, anno 1757 *et* 1758. Quinquagenarius,
mictu cruento affectus, ſubito per vrethram eiecit
fruſtulum carni ſimile, craſſitie digiti et longitudine
ſpithamae; poſt aliquot dies rediit mictus cruentus,
et paulo poſt rurſus emiſſa eſt portio ſimilis maſſae,
eademque excretio intra duodecim dies ter facta eſt,
praegreſſo ſemper languore inſigni et animi deli-
quio. Haec maſſa minime polypoſa erat, ſed potius
ex ſanguine tenaci in ipſa veſica vrinaria producta
videbatur.

Part. III. N. 5. *Relatio de aſtroitis prope Chemni-* p. 179.
tium reperiundis, Auctore S. Ibi inuenitur 1) *lapis ruber;*

*) vid. Commentar. noſtror. Vol. I. Part. III. pag. 522.

2) *albus et ruber;* 3) *niger, maculis albis et rubris, duritie ac politura achatae ſimilis.* Diſſecti et politi in ſuperficie oſtendunt ſtellas albas vel rubicundas, cum 4-8 radiis inſtructas. Quae ſtellae cum ex molliori conſtent maſſa, quam lapis, in quo continentur, ac formam vel cylindricam vel pyramidalem ſiſtant, et cum lapidibus aſtroideo cylindricis conueniant: Cl. Auctor putat, eas eſſe lapides aſtroideo cylindricos petrefactos, et a lapide achatae ſimili incluſos. Qui cum ſint partes pedunculi encrinorum: veroſimile eſt, partes pyramidales, cum lapidibus aſtroideo cylindricis per lapidem achatae ſimilem coniunctas, eas eſſe partes, quas in capitibus encrinorum videmus.

p. 159. Part. IV. N. 1. *Relatio de trochitis et entrochis, in variis Angliae regionibus reperiundis,* Auctore S. Trochitae, aſtroitae, entrochi et aſtroideo cylindri ad vnum genus pertinere videntur, cum trochitae ſibi impoſitae entrochos forment, et aſtroideo cylindrici aſtroitarum coniunctione oriantur, et figura in vtrisque columnam ſiſtat, in prioribus rotundam, in poſterioribus angulatam. A pedunculo encrini inprimis proficiſci putantur. Vt oſtendat Cl. Auctor, quibus rebus, praeter figuram ipſis propriam, differant entrochi et aſtroideo cylindri, ex ROBERTI PLOTT *Natural Hiſtory of Staffordſhire* eorum mentionem facit, qui in Anglia reperiuntur. Nonnulli eorum partes vegetabilium ſiſtunt, vt ſtelechites, trunco arboris ſimilis; prope *Dudley* reperitur lapis, *Poxſtone* dictus, ligno petrefacto ſimilis; ſtelechites ſtibii facie ALDROVANDI, eiusque variae ſpecies, prope *Beresford* et *Stanſop* reperiundae, ad priores vix pertinent, cum conſtent ex lapidibus annularibus, in vtraque ſuperficie variis radiis notatis. RAYUS hos pro vertebris piſcium habuit. Alii ſunt cau-

orificio rotundo vel ſtellari. Maiores, radiis notati anguſtioribus, a centro ad peripheriam decurrentibus, trochi dicuntur, quorum ſi plures coniunguntur, entrochi formantur. Ex lamellis componuntur tenuibus, micaceis, quarum ſuperficies acutae ſulcos laterales producunt, ita poſitos, vt cum ſulcis ſequentis trochi angulum faciant. Si franguntur aut teruntur, odorem ingratum ſpargunt. In ſuperficie vtraque duplex eſt ſeries radiorum, prior circa canalem pentagonum medium; altera, ad peripheriam excurrens, a priori diſtinguitur circulo cauo, profundo. In aliis quatuor conſpiciuntur ſeries radiorum; aliorum radios percurrit linea vndulata; quam quidem rem icones adiectae melius declarant. Prope *Beresford* et *Stanſop* inuenitur petrefactum, quod ex craſſis trochis componi videtur, nec medium canalem habet, nec odorem emittit, ſi frangitur aut teritur, et ad IMPERATI *Columnettas* pertinere, a Cl. Auctore exiſtimatur.

6) *De ignauo.* Hoc animal formam et magnitudinem ſimiae habet, pilis denſioribus ac longioribus, dentibus magis acutis et longioribus, ventre maiori, proboſcide, oculis et naſo minori. Aures tantum ex meatu auditorio conſtant, magnitudo capitis eſt deformis, cauda breuiſſima, pedes laeuigati, palmati, tribus digitis longis acutis inſtructi. Rugoſum eſt; iuniorum cutis laeuis eſt, griſeo colore, ſeniorum rubra fit aut fuſca, maximeque piloſa. Non niſi fame ad motum incitatur, atque ſe mouendo ingratum eiulatum profert, quo ipſum ab hoſtibus defenditur; vix intra 8 - 9 minuta ſpatium trium pollicum progreditur. Arbores adſcendit, et fructus ac folia edit, ſaepeque fame perit, ſi arbores nimis diſtant, aut nimis altae ſunt. Inuenitur in America meridionali, et in Guinea Africae. p. 250.

Part.

p. 297. Part. V. N. 2. *Relatio de ſic dictis roſis ſalicum*, Auctore S. Inueniuntur in ſalicibus, ſi incrementum gemmarum interrumpitur, folia lateralia in formam roſae expanduntur, et folia media non iuſtam formam ac magnitudinem attingunt; color earum eſt varius, vt plurimum viridiuſculus. Plerumque initio autumni in ſalicibus regionum humidarum deteguntur, quarum gemmae iam vere mutatae erant. In variis ſalicum ſpeciebus creſcunt, v. c. *in ſalice foliis integris, glabris, ouatis, acutis; in ſalice alba; rubra; caprea; pumila; griſea capillari*; *in ſalice foliis ouatis, rugoſis, ſubtus tomentoſis, vndatis, ſuperne denticulatis* LINN. *in ſalice foliis rotundo acuminatis* BAUH. *in ſalice latifolia, inferne hirſuta* CHABRAEI. Haec roſa producitur ab inſecto, quod oua in gemmam ſalicis immittit, vnde poſtea vermes prodeunt, qui partes internas gemmae proliferae ſuccis deſtituunt, ibi nidulantur ac formam mutant. Ex eruca, in roſa ſalicum enata, progignitur tandem initio iunii *Tenthredo* ſiue *Cinips ater, thoracis tergo viresceute, pedibus ſaltatricibus* LINNAEI. Quodſi itaque Cinips oua in gemmam ſalicis immittit, praeripiunt quidem erucae hinc genitae ſuccum gemmae ſalicis eiusque incrementum retardant, attamen vix impediunt euolutionem foliorum externorum, tempore vernali peragendam, haec autem ob iſtam reſiſtentiam magis ad latera expanduntur, et folia media, poſtquam eruca, nunc in papilionem mutata, auolauit, minora manent, vt figuram roſae autumno ſiſtant.

p. 382. Part. VI. N. 4. *De mirabili euentu febris malignae.* Quadragenarius febre acuta, cum peſſimis ſymptomatibus coniuncta, laborauit, cui dedit Auctor bis vomitorium, atque decoctum antiphlogiſticum; 5to die accedentes ſpaſmos ac ſingultum clyſmate et veſicatoriis mitigauit, 12moque die venae-

venaesectio febrem dissipauit. Paulo post aeger per sex dies exspuebat multum sanguinis putridi, e gingiuis prorumpentis, vrina sanguine putrido inquinata erat, corpus maculis nigris obtectum, pulsus durus, et insigne corporis frigus sentiebatur, relicta animi integritate. E vena secta effluxit sanguis ruber, sero destitutus; accessit postea saliuatio pituitae viscidae, rediit calor naturalis, et post vsum acidularum Egranarum perfecta sanitas.

6) *De formicis albis.* In Asia et Africa reperiuntur formicae magnitudine mediocri, ventre albo, capite ac thorace rubro vel fusco. Aceruos construunt rotundos, conicos, peripheria 14-15 pedum, et altitudine 8-12 pedum, cum simplici ostio, qui exterius gypso quasi obducti sunt, interius e fornicibus et cameris constant, quae vel cibis, vel sordibus replentur, vel habitaculis inseruiunt. Cum moriantur, si diutius radiis solis expositae sint: de nocte tantum migrant sub portico, quem e terra conficiunt tanta celeritate, vt intra 12 horas canalem 8-9 vlnarum longitudine exstruant, quem continuant, si murum adscendunt, ac, si forte rumpitur, statim reuertuntur, vt illum denuo restituant. Si domum attingunt, per lignum sibi viam faciunt. Praeterea omnia, praeter lapides et metalla, aut ea, quibus sal inspergitur, deuorant, adeoque animalia viua necant, v. c. gallinas, oues, vaccas, glires, cet. Copiose propagantur, et acceptis alis gregatim auolant, atque ab auibus deuorantur. p. 395.

Part. VII. N. 1. *De nido acanthidis, et peculiari ratione vtriusque auis, qua constructus est.* Duae acanthes in hypocausto intra 14 dies mense martio nidum fecerunt ex pallio, pennis, linteo, filo, musco, pilis, cet. Femina ab 8 ad 13 apr. quotidie p. 403.

die ouum posuit, et ex sex ouis quatuor pulli incubatione excludebantur, qui reliquis duobus ouis, testis et excrementis, nutriebantur; medio maio femina rursus quatuor oua emisit, hinc duos pullos procreauit, eosque simili modo nutriuit; medio iunio femina, sana alias visa, subito post eiulatum mortua est; mas, alii feminae adiunctus, semper tristis fuit, et post 5 menses periit. Nidi fabrica ex icone adiecta melius cognoscitur.

p. 435. 3) *De cancro mammae feliciter curato* a Cl. RUMPELT. Quinquagenaria contusione sibi excitauit scirrhum mammae sinistrae, nucis iuglandis magnitudine, qui post 6 annos, variis minus aptis adhibitis remediis, in dies increuit, vt tandem in cancrum apertus sit. Adhibuit Cl. Auctor interne decoctum guaiaci cum cort. peruv. serum lactis, liquorem anod. miner. HOFFM. et laxantia antiphlogistica. Idem liqu. anod. tumori externe applicatus dolores auxit; vsus est itaque vt caustico, ad vlcus depurandum, solutione lapidis medicamentosi, e vitriolo, alumine et nitro parati, et quidem bono cum successu, eiusque vim postea cum elixirio acido DIPPELII efficaciorem reddidit, atque in sinus iniecit aquam vitrioli tepidam. Sic intra quatuor menses malum dissipatum, et relicta apertura paulo post cicatrice clausa est.

p. 467. Part. VIII. N. 1. *Cogitationes de distributione auium, et modis, quibus inter se coniunguntur*, Auctore I. G. R. Existimat Auctor, ad aptam auium distributionem non sufficere considerationem rostri ac pedum, sed simul etiam requiri cognitionem rationis vitae et nutrimenti auium, cum alias genera coniungantur, quae saepe quoad mores et cibos maxime sibi contraria sunt. Ad vtrumque igitur respi-

reſpiciens, aues in duodecim claſſes hoc modo diuidit, vt et quoad figuram, et quoad mores ac cibos, inter ſe conueniant. Feles volantes, ſciuri alati, mures alis inſtructi, ope *Caprimulgi* coniunguntur *cum auibus rapacibus, quae noctu eſcam quaerunt,* et *primam claſſem* conſtituunt, ad quam pertinet noctua parua aucuparia; noctua cum auribus plumaceis; vlularum varia genera. *Secunda claſſis* continet *aues rapaces interdiu volantes, quae inſecta, aues, aliaque animalia deuorant,* vt aquilae ſpecies, vultures, vultur Braſilienſis collo nudo, falcones, accipitres, et varias ſpecies auium rapacium minorum, atque vtraque claſſis per *Vlulam diurnam* coniungitur. *Lanius maior cinereus* ad *tertiam claſſem* ducit, *cuius aues quidem rapaces ſunt, pedes autem digitosque graciliores habent, et, praeter carnes, fructus ac ſemina edunt;* huc referuntur pari, picae, monedulae, cornices, corui. Ad *claſſem quartam* viam pandit *Tauraco, qui non ſolum a rapina, ſed a fructibus etiam viuit, eosque peculiari roſtro frangit,* vti omnes pſittaci, hic adnumerandi. *Coccothrauſtes curuiroſtra, crucifera, cuius pedes et vox cum Fringilla conuenit,* eſt auis intermedia claſſis quartae et quintae. Comprehenduntur autem in *claſſe quinta aues, quae grana et ſemina roſtro frangunt,* vt fringillae, linariae, paſſeres Canarienſes, emberizae. Cum hac *claſſis ſexta* cohaeret, ope *Paſſeris emberizae* ſiue *milliariae, qui non ſolum grana roſtro frangit, ſed haec etiam integra deglutit.* Hic locum inueniunt *aues, quae grana et baccas integras deglutiunt,* vt alauda, turdus, merula, turdela, gauia, arquata, tarda, ſtruthio, caſuarius, gallinae, columbae. *Cuculus, qui vermes ſub muſco aut corticibus edit, et grana integra deglutit, ſeptimam claſſem* componit, quae continet *aues, quae vermes et inſecta ex arborum corticibus roſtro petunt,* vt pici genera. *Trochylus, qui inſecta et in arboribus,*

et

et volantia capit, *octauam classem* septimae adiungit, quam sistunt *aues, quae quidem insecta volantia captant, sed ratione rostri et pedum a praecedentibus differunt*, v. c. curruca, syluia, luscinia, hirundo, muscipeta. Nexus cum *nona classe* per *Sturnum* fit, *qui insectis aquaticis viuit, et plerumque ad aquas degit.* Huc pertinent *aues, ad aquas commorantes, et insectis aquaticis, cochleis, piscibusque se nutrientes*, v. c. ispida, hiaticula, fulica, haematopus. Quam quidem classem cum *decima* combinat *Rallus aquaticus, qui pisces, ranas, aliaque amphibia quaerit.* Concludun-tur in hac classe *aues paludosae, longis cruribus et rostris praeditae, ac simili nutrimento viuentes*, vt ardearum genera varia, numenii, ciconiae, grues. Connectit *classem vndecimam* cum *decima Flamingo, praeter ranas et amphibia, variis seminibus sustentatus, et pedibus natatoriis instructus.* Ad hanc reducendae sunt *omnes aues natatoriae.* Cum iisdem arctissime coniungitur *classis duodecima*, per *Turdum aquaticum, qui pedes natatorios habet, et insecta aquatica aliaque comedit.* Componitur haec classis ex *auibus, quarum esca e vermibus et insectis desumitur*, vt sunt v. c. scolopaces, arquata stercoraria, cet. *Mellisuga minima* aues cum insectis coniungit, *cum, vti insecta, rostri ope rorem et mel e floribus sugat.* Conuenit inprimis cum *Phalaenis spirilinguibus* LINNAEI.

Vol. II. p. 68. Vol. II. Part. II, N. 1. *De regni mineralis praecipuis diuitiis, eiusque rebus raro occurrentibus, in Saxonia copiose reperiundis*, disserit Cl. SCHULZIUS. Indicantur loca, vbi apud nos e fluuiis educitur aurum, vel effodiuntur minerae argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri, aut vbi inuenitur magnes, smiris, cinnabaris, cobaltum, sulphur, arsenicum, pseudogalena, corneus crystallisatus, minera antimonii colorata, lithanthraces, caespes bituminosus, succinum,

num, ſalinae, vitriolum, aqua cupro impraegnata, minerae ac terrae aluminoſae; praeterea lapides pretioſi, v. c. topaſius, beryllus, rubinus, chryſolithus, granatus, amethyſtus, ſilex pellucidus; lapis alabondicus, *Almandinſtein* dictus, qui prope *Lengefeld* reperitur, inprimis notari meretur, cum vix extra Saxoniam reperiatur; ob colorem a Cl. Auctore ad hyacinthos, ab aliis ad granatos, refertur. Porro abundat Saxonia opalis, achatis variis, iaſpidibus, marmore ſerpentino, variis marmoribus, alabaſtris, ardeſiis, lapidibus calcareis, cotibus, in quibus *cos aquam transmittens*, non diu detectus, inprimis indicandus eſt. Plurima etiam in Saxonia exiſtunt petrefacta, plurimae terrae, argillarum ſpecies variae, ſmectides, lithomargae, ochrae, terrae tinctoriae, terra miraculoſa RICHTERI. Nec minus in Saxonia fontes medicati ſunt, vt Radebergenſis, Wolkenſteinienſis, Gieshüblenſis, Lauchſtadienſis, cet.

7) *Relatio de auro èt mineris aureis in Saxonia, inprimis prope* Reichmansdorf, *ditionis Salfeldenſis, detectis;* Auctore S. p. 118.

Part. III. N. 3. *Epiſtola ad amicum, in qua* Cl. WOODWARD et Cl. MORO *ſententiae, de terrae mutationibus, disquiruntur.* Originem petrefactorum, quam vtrumque non ſatis explicaſſe, Auctor arbitratur, ita demonſtrare tentat. Fluuii, ad mare accedentes, craſſiores partes, quas ſecum rapiunt, ad littora deponunt, ſubtiliores diu in mare agitantur, donec in forma luti aut glutinis praecipitantur, et conchylia, aliaque in fundo maris haerentia, tegunt ſenſimque plane inuoluunt. Quibus miſcentur plurimae partes praecipitatae ſalium, bituminum, petrolei et acidorum, quae ſoluta in aqua marina continentur. Sic in dies ſtrata augentur, p. 159.

indureſcunt et lapideſcunt. Adiecta icon eſt tabulae octauae Cl. MORO, paululum mutata, qua, contra Cl. MORO ſententiam, oſtenditur, mare non in dies magis increſcere, etiamſi et inſulas proferat, et regiones ſubmergat, ſed potius ſemper in eadem proportione cum terra retineri.

p. 186. 4) *De Hippopotamo.* Hoc animal eſt amphibium, magnitudinem bouis multum ſuperat, cui inprimis ſimile eſt, ſed cornubus caret, cauda, in extrema parte depilata, cum cauda ſuis conuenit; 1200-1500 libras pondere aequat; corpus obtegitur pilis breuibus, craſſis, fuſcis, in ſenectute griſeis. Caput est magnum, latum, ſuperius planum, labiis oris rotundis, magnis, naſo magno, naribus ſurſum patentibus. Praeter dentes molares habet quatuor dentes caninos, vt aper, 7-8 pollicum longitudine, et peripheria radicis quinque pollices aequat; inferiores maiores ſunt, magisque incuruati ſuperioribus; duriores albidioresque eburno; aures paruae; auditus et viſus acutus; oculi magni. More equorum hinnit, ac dentibus pedibusque ſe defendit. Crura ſunt breuia, craſſa, pedes magni, digitis quatuor inſtructi, anterioribus maioribus, poſterioribus minoribus. Celerrime currit; cutis duriſſima ad ventrem et inguina mollior eſt. Ope ignis fugatur. Piſces, gramina, oryza, mays, radices, ſunt eius nutrimenta. Quatuor foetus ſimul parit, et maxime foecundum eſt. Cutem rupi atterendo, ſibi venam ſecat; eleuato capite natat, et aquam e naribus protrudit.

p. 195. Part. IV. N. 1. *Explicatio petrefacti cuiusdam ignoti.* Id inhaeret ardeſiae cupri nigrae, cum luto nigrogriſeo arenoſo mixtae, et conſtat ex corpore compacto ſquamoſo, ad dimidiam pollicis lapidem ſuper-

ſupereminente. Circa hoc petrefactum eſt ſulcus, granulis nigris ſplendentibus obſitus, ibique ſtructura ardeſiae lamellata ita mutata conſpicitur, vt chelae cancri ſimilis eſſe videatur. Quod quidem petrefactum cancro petrificato non diſſimile eſt, attamen Auctor id magis pro fructu quodam habet.

3) *Relatio de oſſibus et cornubus, magnitudine enormi, hinc illinc, inprimis in Saxonia, e terra effoſſis,* a Cl. SCHULZE. Dicuntur oſſa gigantum, quae inueniebantur prope Hildeſiam, Canſtadiam, in ſpelunca *Baumans Hoele* dicta, et prope Quedlinburgum, Bononiae, prope *Mewe* ad Viſtulam, prope *Glücksbrunn* in fodinis cupreis. Inprimis autem in Saxonia prope *Burgtonna* in Ducatu Gothae anno 1695 ſceleton integrum inueniebatur, quod ſceleto elephanti ſimillimum erat. Locus, vbi effodiebatur, ex quinque conſtabat ſtratis terrarum, quorum 1) erat humus nigra, 2 vlnarum altitudine, 2) arena griſea, 1 ½ vln. 3) argilla ſabuloſa, 3 vln. 4) arena griſea, 3 vln. 5) arena alba, ſubtilis, 1 ½ vln. in qua haec oſſa latebant. Praeterea ſaepe effoſſa ſunt cornua magna rhinocerotis, naruali, aliorumque animalium, v. c. in Calabria, Anglia, Thuringia, Heluetia, Sueuia. Nec minus in variis Saxoniae locis eiusmodi cornua reperiebantur. Etenim prope *Burgtonna* in lapicidina detegebatur magnum cornu laeue, vnius vlnae longitudine. Prope Altenburgum ad pagum *Paditz*, anno 1704 ſimile cornu ex arena effoſſum eſt, cuius longitudo 3 vlnas aequauit, peripheria maior pedem vnum; ex lamellis albis, maculis nigris refertis, compoſitum erat. Locus, vbi haerebat, conſtabat 1) ex humo lutoſa 1 ½ - 4 ped. 2) ex arena maiori ¼ ped. vbi latuit hoc cornu, et 3) ex argilla margacea ½ ped. Simile cornu prope p. 219.

Miſniam ex humo lutoſa eductum eſt, et plurima oſſa permagna prope *Schieritz*.

p. 234. 5) *Relatio de migratione ſalmonum in Albi*, a Cl. SCHULZE. Salmo pertinet ad piſces marinos, qui, dum oua emittunt, e mari ſe conferunt, et aquam dulcem quaerunt. Initio veris in Albi deprehenditur, et ſub finem maii ex Albi in fluuium, *Molda* dictum, transgreditur, tandem ex hoc ad fluuium *Wottawam* peruenit, et ibi menſe iunio, inprimis prope *Piſeck*, *Strakonitz*, cet. oua parit prope ripas, vbi flumen vadoſum eſt et ſabuloſum, vt ſolis calore citius excludantur. Hic incrementum piſciculorum exſpectat, et cum illis ad finem aeſtatis in Albim reuertitur. Praecipue mirandum eſt, ſalmones, dum flumina adſcendunt, ſuper maximas cataractas, ſex vel ſeptem vlnarum altitudine, transilire.

p. 245. 7) *Cogitationes de emendandis agris ope conmutatorum ſtipularum*, auctore S. Lithuani incendunt ſtipulas eo loco, vbi ventus flammam per totum agrum diſtribuit, et poſt pluuiarum acceſſum terram aratro tractant, ſeminaque illi immittunt, et ex his cineribus maximam fertilitatem agris conciliant. Hoc enim modo cineres aequaliter diſperguntur, et ſal, pluuia ſolutum, aequali modo terram penetrat, praetereaque oua inſectorum plane deſtruuntur, vt et radices ac ſemina inutilium herbarum ſimul pereunt, quapropter frumenti grana maiora fiunt. Simili modo in Lithuania ſteriles terrae, muſcis, calamo et fruticibus obtectae, breui tempore in fertiles mutantur, cum per duos vel tres annos vrantur, ac poſtea colantur. Sic etiam apud nos eadem agrorum tractatio eadem commoda afferret.

Part. V. N. 1. *Relatio de ſitu vrbis Chemnitii, et* p. 259.
foſſilibus ibi deprehendendis, Auctore Cl. SCHULZE.
Chemnitium ſitum eſt in planitie amoena, vbique collibus ac montibus circumdata, et nonnullis riuulis irrorata. Humus eſt partim lutoſa, partim margacea, cum fragmentis venarum quarzoſis et granitiformibus. Hic inueniuntur lithoxyla, zoophyta et corallia, quae petrefacta duplicis ſunt generis, cum partim aliis petrefactis ſimilia ſint, partim propter peculiarem indolem differant. Priora, diuerſi coloris, duritie cum achate conueniunt, et fiſſurae lithoxylorum non raro repletae ſunt cryſtallis, onyche et amethyſto. Poſteriora conſtare videntur e tubulis variis, iuxta ſe poſitis, calcedonio, carneolo, onyche, achate plenis; in plurimis tubuli caui ſunt. A varietate tubulorum atque coloris diuerſa acquirunt nomina, et dicuntur *lapides ſturniformes*, (*Staarſteine*), ſi maculae rotundae ſunt, albae, aut variegatae; *lapides oculis ſignati*, (*Augenſteine*), ſi maculae ouales ſunt; *lapides vermes referentes*, (*Wurmſteine*), ſi tubulorum partes laterales rotundae conſpiciuntur. Corallia petrefacta plerumque adhaerent ſuperficiei lapidum, qui partes zoophytorum aut ſtellarum marinarum continent, et reteporis ſimilia ſunt. Ibi reperitur cos, vel ex arena tenera, micacea, vario colore, vel ex arena craſſiori quarzoſa; prope *Altchemnitz* multae ſpecies ardeſiae conſpiciuntur; ad *Niederhermsdorf* et *Drasdorf* lapis calcareus albus ac dendritae; ad *Auerswalda* lapis calcareus niger, ad agrorum fertilitatem parandam aptus. In ditione Chemnicenſi porro reperiuntur variae ſpecies iaſpidis, quae, vt fragmenta metallica, hinc illinc in agris diſperſae ſunt, plurimae ſpecies achatarum, chalcedoniorum, et carniolorum, granatorum, chryſolithorum, topaſiorum. Prope *Gablenz* et *Hartha* lithanthraces ſunt.

Additur tandem index petrefactorum ac lapidum, qui in regione Chemnicenſi reperiuntur, quorum nonnulli in icone adiecta delineati ſunt.

p. 284. 3) *De tutiſſima et facillima methodo refocillandi aqua ſubmerſos;* Auctore R. Hic requiritur, 1) vt calor naturalis reſtituatur et circulus ſanguinis; 2) vt pulmones ac cerebrum a ſanguine nimio liberentur; 3) vt aqua deglutita e bronchiis euacuetur. Primum adiuuatur, ſi ſubmerſus inuoluitur membranis animalium recenter mactatorum, inprimis veruecum, vel obtegitur cineribus calidis, vel arena calefacta, aut ſale calido, vel ſternutatione alcalinis volatilibus excitata, aut clyſmate herbae nicotianae et frictione. Secundum peragitur ſectione venae iugularis, ſternutatione, analepticis, vt infuſo Chamomillae, clyſmatibus calefacientibus. Tertium attingitur titillatione faucium, ope plumulae, vomitoriis, et iis, quae tuſſim excitant.

p. 323. Part. VI. N. 1. *Relatio de magneſia alba, in Anglia inuenta*, a Cl. WEINLIG.

p. 353. 6) *Relatio de cura paralyſeos, apoplexiam ſecuta, ope electricitatis peracta;* Auctore Cl. SCHULZE. Vir, 52 annorum, in toto latere ſiniſtro poſt apoplexiam paralyticus factus eſt, ſublata omni fere ſenſatione, et poſt octiduum obmutuit, ſine vlla febre. Varia quidem remedia aegrum intra ſex menſes ex parte ſanitati reſtituerant, brachium tamen affectum in dies magis emarcuit, et pluribus poſtea fruſtra tentatis remediis, tandem Cl. Auctor per quatuor hebdomadas quotidie manui ac pedi aegroti applicauit vires electricas, tam proſpero cum ſucceſſu, vt poſtremo ſenſus et motus muſcularis in brachio et pede affecto redirent vna cum robore, et tandem poſt

poſt vſum aquarum Toeplizenſium perfecta ſanitas recuperaretur.

Part. VII. N. 2. *Relatio de vlula exotica prope* Dahlen *ſclopeto necata.* Color pennarum eſt albus, cum fimbria fuſca et circulo iridis flauo. Longitudo alae non expanſae eſt 19 poll. thoracis latitudo 7 poll. vngulae ſunt 1 ½ poll. latae, acutae, nigrae. Adiicitur eius figura in icone, quae rem magis illuſtrat. Secundum KLEINIUM dicitur *Vlula alba Islandica*, a LINNAEO *Strix capite laeui, corpore albido*, a RUDBECKIO *Noctua ſcandiana maxima, ex albo et cinereo variegata.* p. 394.

5) *Relatio de lapidibus violaceis, in Saxonia prope* Altenberg *reperiundis*, a Cl. SCHULZE. Hi lapides, odore violarum praediti, duplicis generis ſunt; alii ex partibus cinereis, granuloſis maioribus, cum mica mixtis; alii ex quarzo, e granulis minoribus compoſito, et ferrum continente, conſtant. Odor a muſco, ſuperficiei horum lapidum adhaerente, proficiſcitur, cum euaneſcat, ſi muſcus abſtergitur. Cl. BRUCKMANN tribuit hunc odorem licheni cuidam, qui initio ſuperius colorem fructuum aurantiorum, inferius nigrum oſtendit, poſtea flaueſcit, tandem albeſcit, et ſub forma ſquamarum a lapide ſecedit. Dicitur a LINNAEO *Lichen leproſus, flaueſcens, lineolis nigris, mappam referens*, a DILLENIO *Lichen nigro flauus, tabulae geographicae inſtar pictus.* Cl. Auctor vero, cum in hoc lichene, caute ab his lapidibus ſeparato, nullum detexerit odorem violarum, putat potius, hunc muſcum, qui producit odorem horum lapidum, eſſe *Byſſum, colore griſeoviridi*, quae hinc illinc illis lapidibus adhaeret, et oculo nudo vt terra tenera virideſcens apparet, ſub microſcopio autem fungoſum contextum, e ſpiculis pro- p. 429.

minentibus ortum, ſiſtit, atque *Byſſus puluerulenta, ſubuiridis, odorem violae ſpirans,* dici poteſt. Si lapides illi aqua humectantur vel calefiunt, odor violaceus augetur. In iisdem lapidibus porro inuenitur alia byſſi puluerulentae ſpecies, colore ſubrubro vel purpureo, odore violaceo debiliori, quam LINNAEUS appellat *Byſſum puluerulentam, ſanguineam, ſaxis innaſcentem;* ſed anceps eſt Cl. Auctor, vtrum haec ſit noua ſpecies, an color ſubuiridis Byſſi tandem in ſubrubrum mutetur?

p. 436. 6) *Relatio de noxa cicutae aquaticae,* a Cl. SCHULZE. Ab eius enim eſu quatuor pueri quarta hora moriebantur, maximis doloribus et conuulſionibus excruciati; in alio ſanguis e naribus, ore, auribus et oculis emanabat; alius altero die epilepticus periit; reliquorum ſanitas diu inconſtans fuit.

p. 458. Part. VIII. N. 2. *Collectanea ad hiſtoriam naturalem Saxoniae,* a Cl. SCHULZE. 1) Hic deſcribuntur duae ſpecies inſecti nondum cogniti, quod, ob deficientem apicem elaſticum thoracis eiusque vaginam, ab Elateribus differt, atque ob nodoſas et articulatas antennas a Cerambycibus diſtinguitur, cui Cl. Auctor nomen impoſuit *Serratulae totius nigrae* et *Serratulae capite nigro, thorace ſanguineo, elytris miniatis.*

2) Idem vernali tempore in riuulo prope Dresdam inuenit globos materiei glutinoſae, qui, in vitro cylindrico aqua pleno ſeruati, ſe vndique expandebant, et ex filis exiguis in centro coniunctis conſtabant, ſenſimque magis increſcebant, poſt quatuor autem hebdomadas ſe contrahebant, et mucum griſeum cum aliqua terra mixtum in fundo vitri ſiſtebant. Cl. Auctor hos appellat *Conferuas gelatinoſas, filis ſimplicibus ex centro communi prodeuntibus,*

tibus, cum conueniant cum *Conferua filis ramoſis moniliformibus, articulis globoſis, gelatinoſis* LINNAEI, et cum *Conferua Alpina lubrica, filamentis nodoſis coeruleis* DILLENII.

3) In fodinis lithanthracum Dresdenſium reperitur Byſſus, trabibus increſcens, laciniis, vlnam dimidiam longitudine ſuperantibus, dependens, colore albo, fabrica tenerrima. Similis eſt *Byſſo filamentoſae, capillaceae, perenni, cinereae,* LINN. et, vt eius ſpecies vel varietas, dici poteſt *Byſſus filamentoſa, candida, perennis.*

4) In fodina metallica, *alte Hofnung Gottes* dicta, et in pago *Groſsvoigtsberg*, prope *Noſſen* ſita, inuenitur minera in vena ſabuloſa, quarzoſa, ferrea, cum pyrite ſulphureo granuloſo mixta, haerens, pici fuſcae, purae, ſimilis, minime ſplendens, et in paruis tantum fruſtulis, vt ſuccinum, pellucida; facile teritur in puluerem flauum, aqua non mutatur, igne difficile liqueſcit, aliquot drachmas argenti continet, et ad *Pſeudogalenam* pertinere videtur.

5) Minerae plumbi virides et nigrae nunc effodiuntur ad *Schwarzenberg* et *Tzſchopauiam* in fodina *S. Trinitatis.* Vena mixta eſt cum ſpato albo, lamellato, rarius cum quarzo, rariſſime cum corneo. Minera plumbi viridis, cuius color eſt vel clarior, vel obſcurior, concretiones cryſtallinas (*Druſen*), cryſtallos, aut pyramidas format. Minera plumbi alba et pellucida aut in venis metallicis, centrum telluris quaſi petentibus, (*Drumweiſe*), aut in forma lamellarum offenditur. Minera plumbi nigra vt puluis niger, vel compactior, vel ſub forma plumbaginis, apparet. Minera plumbi fuſca, praeter colorem fuſcum, cum minera plumbi viridi conuenit, quacum plerumque ochra martis inuenitur, cui color viridis et fuſcus tribuendus eſſe videtur. Minera plumbi alba eſt proprie ſaccharum ſaturni, e terra

elementari enatum, cui si accedit ochra martis in maiori vel minori copia, paratur color vel flauus, vel viridis, vel fuscus. Praeterea reperitur in fodina *S. Trinitatis* 1) *galena tessulis maioribus, compacta;* 2) *pyrites sulphureus*; 3) *minera cupri subflaua;* 4) *aerugo natiua.*

6) Petrefacta in silicibus reperta demonstrant, silicem antea mollem fuisse, vel ex indurato glutine marino ortum esse, inprimis cum ope spiritus vitrioli in gelatinam soluatur; praeterea non nisi ea in his inclusa sunt, quae in fundo maris deprehenduntur. Additur index locorum Saxoniae, vbi silices, variis petrefactis, vt madreporis, coralliis, conchyliis, echinis, cet. repleti inueniuntur.

p. 487. 5) *Relatio de nonnullis speciebus polyporum, in aquis Dresdensibus occurrentium*, a Cl. SCHULZE. Detexit enim duas species polypi nondum descripti, *Polypum paruum, album, cum brachiis breuibus*, et *Pseudopolypum solitarium, album, erucaeformem, cum labiis oris inermibus.*

p. 499. 6) *De aranea saliente.* Est *aranea saliens nigra, lineis albis, transuersis, semicircularibus* LINNAEI, quae habitat in fissuris murorum, vel sub tegulis tectorum soli expositorum; duas lineas longa est, pedibus breuibus, crassis, abdomine pilosa, oculis octo, in superiori parte semicirculari thoracis sitis, quorum duo maiores sunt reliqui.

(o)

XV.

D. IOHANN GEORG ZIMMERMANN, *Mitglied der Königl. Preußiſchen und Churbayeriſchen Academien der Wiſſenſchaften in Berlin und München, der Academien in Palermo und Peſaro, der naturforſchenden Geſellſchaften in Zürich und Baſel, der oeconomiſchen Geſellſchaft in Bern und Stadtphyſicus in Brugg, von der Erfahrung in der Arzneykunſt. I. Theil. Zürich bey Heidegger. 1763. 8. 1 Alph. 8 Bog. II. Theil Zürich 1764. 1 Alph. 18 Bogen.*

Id eſt:

Tractatus de experientia medica. P. I. II. Auctore D. IO. GEORG ZIMMERMANN.

Vbique fere multorum animis inſidet opinio, eos ſane medicos, qui diu pluribusque in curandis morbis opem tulerint, experientia inſtructos aliisque praeferendos eſſe, immo haud pauci quoque medicorum ſunt, qui, quod per aliquam iam annorum ſeriem in viſendis aegris praeſcribendisque remediis ſuum tranſigerunt tempus, ſingularem crepare experientiam ſolent. Verum, quoniam et ipſi arti medicae et generi humano damnoſa exiſtit haec opinio, gratias decernimus Cl. ZIMMERMANNO, quod, etſi vulgo eripere ſuum errorem impoſſibile eſt, voluerit tamen, medicis ita ſentientibus, docendo, quid vera ſit experientia medica, eundem euellere. Optandum tantum eſt, vt tales attente perlegentes elegantem libellum, ſe ipſos perquirant ſuasque metiantur vires, et firmam veramque cum ſano iudicio experientiam acquirere nitantur. Duas demum,

demum, quas etiam ſimul proponimus, partes edidit Cl. Auctor, tertiam adhuc exſpectamus.

Pars autem prima iterum in tres diſtinctos ſubdiuiditur libros, quorum primus experientiae naturam, alter eruditionis verae, ad genuinam experientiam conſequendam, neceſſitatem, tertius obſeruandi methodum et ſigna morborum certa colligendi modum tradit. Pergit deinde in altera parte, quae librum complectitur totius tractationis quartum, ad contemplandam ingenii (*genie*) aptitudinem, qua potiſſimum in cauſſis morborum indagandis occupatur medicus, atque de hiſce cauſſis egregie exponit Noſter. In omni vero tractatione apparatum propriae ſcientiae et ſtudioſae attentionis prodit, nec non dictione vtitur accurata, quae non nunquam graphice res depingit. Nos vero ex his primaria tantum, lectionem ipſius libri commendantes, momenta adducemus.

P. I. p. 6. Ea potiſſimum Cl. Auctoris intentio eſt, vt fundamenta doceat, quorum cognitio et applicatio ab experientia petitur. Hinc experientia nata per ſenſus ex contemplatione rei iterata, quippe inſufficienti fulta obſeruatione, falſa, et exercitium in medicina, huic ſuperſtructum, coecum eſt. Dum autem per variarum ſcientiarum exemplum hoc p. 24. probat Noſter, tandem ad medicinam reuertitur, cuius quippe ſtudioſior perueſtigatio plerumque negligitur, vulgaris ſic dicta experientia praefertur, quod facilis illa eſt acquiſitu, ab imperitis etiam medicis laudatur, a ſapientioribus vero damnatur. Multa tamen infert talis opinio hominum pericula toti generi humano, tyrones a ſtudiis arcet, medicinae incrementa ſupprimit, ignorantiae audaciaeque foras pandit, multorumque vitiorum foecunda ſit mater, vtut famoſos ſaepe reddat illos, qui falſae ſuae experientiae praecones exiſtunt, medicos.

Opus

Opus enim eſt ad veram capiendam experientiam p. 63.
eruditione, quae in vulgus condemnitur vehementer, cuius tamen varia praeiudicia, v. c. lectione aliorum librorum nihil proficere poſſe medicum, et illum climati tantum ſeſe accommodare debere, argumentis egregie diſcutit, nec non eruditionis in facienda medicina commoda inde ſtabilit, ſimulque, p. 91.
quantum lectio librorum ad cognitionem veram conferat, per exempla comprobat. Quippe qua non memoria tantum rerum, ſed intellectus potiſſimum acui debet, quam quidem ſcientiae genuinae notam eſſe docet, et ex monumentis hiſtoricis illuſtrat. Quum itaque aliorum ſcriptorum lectio nos p. 130.
ipſos auctorum experientiae participes reddat, ex eo eruditionis in veram experientiam patet influxus, qui obſeruatione ſuffulcitur, Noſter vocat *Beobachtungsgeiſt*. Requiritur autem idonea res rite p. 137.
contemplandi aptitudo, quae ad phaenomena ſeu cauſſarum effectus et earum ſigna reſpicit: ſenſus nimirum et iudicium ſimul adhibentor, philoſophica itaque indiget contemplatione, quae certe in vulgaribus ſic dictis medicis practicis non exiſtit; obſeruatio etiam, ſi minus recte adhibetur, diſſenſus cauſſa eſt, ex quo alii doctrinarum medicarum
incertitudinem, ſed falſo, deriuant. Impeditur ta- p. 178.
men haec obſeruandi facultas per praeiudicia, animi affectus, adſumtas ſententias, ſuperſtitionem, falſa de morbis iudicia, contradictiones incongruas et medicamentorum propoſitorum farraginem. Ni- p. 203.
hilo minus bonae obſeruationes neceſſariae ſunt atque perutiles, ſi eae ſcilicet attente, lente et prudenter, iteratis vicibus, in omnibus morbis, ſine vlteriori rationum ſcrutinio inſtituantur, clare et diſtincte deſcribantur, ſiue ad ſingularem quendam morbum ſpectent, ſiue communes morborum notas contineant,
qua in re SYDENHAMI et FREINDII ſententias p. 220.
conci-

conciliare nititur, quorum hic vniuerſales, ille particulares morborum hiſtorias praeferebat. Suadet autem Noſter, vt medicus ſingula, in morbo quocunque obuenientia, phaenomena rite adnotet, quo iudicium firmum acquirat, ſiquidem exinde non raro euenire poſſet, vt praeteruiſa vel noua perſpi-
p. 235. ciat. Primo ergo loco ſciſcitatur intellectus ſymptomata morborum, praecipue, quae ad morbi eſſentiam pertinent, horum omnium Cl. Auctor pathologicam explicationem concinne ſubiungit. Ab
p. 244. his ad morbi ideam fertur medicus, rationis ſubſidiis, genus ſpeciemque definiens et denominans.
p. 254. Conuenimus cum Cl. Auctore, in denominandis morbis non nunquam vagos eſſe medicos, ſi definitiones ex hypotheſi nec ex phaenomenis deſumunt,
p. 265. exemplo inflammationis oculi vtente. Optima morbi cognitio ex ſignis habetur, quae per omnem morbi decurſum, etiam in inſtanti criſi colligi debent, nec tamen hic ſufficit vnum ſignum, ſed plura. Interim
p. 290. non deſunt caſus, vbi mali latentis ſigna deſunt, quorum aliquos Cl. Auctor adducit, vt illum L. A WASSENAAR, et marchionis GUIDONIS A St. AUBAN, quorum prior ruptura oeſophagi, alter ſteatomate, in pectore nato, obierat, deſcribente il. BOERHAAVIO. In ſignis ſigillatim perquirendis porro verſatur Noſter, pulſum, reſpirationem, urinam, totiusque ſuperficiei corporis contemplationem ad obſeruandum proponens, in quibus ea, quae notatu digna ſunt, et ad ſanum iudicium re-
p. 344. quiruntur, ſollicite percurrit. Pulſuum numerum ad menſuram horologii definit, quod minuta ſecun-
p. 352. da indicat, variaque ſtadia morborum ex numero determinari poſſe probat: intermittens in morbis, pectus adficientibus, pulſus diarrhoeam non ſignificat ſemper, nec dicrotus haemorrhagiam narium, aut deliquium animi vel proximam mortem. Inaequalitas

qualitas pulſus ratione celeritatis in vno eodemque aegroto ſeſe obtulit Noſtro, vt in vno latere intra minutum primum quinquaginta quinque, in altero e contrario nonaginta pulſus obſeruarentur. Solum tamen hoc ſignum nunquam ſufficit, reſpirationis diſcrimina, hic recenſita, itidem multa docent, tarda et minima cum vita minima eſt, ex qua tamen reſuſcitari nonnunquam poſſunt homines, adfirmante tentamine ab ipſo Cl. Auctore ſuſcepto. p. 356.

Signa ex lotio his poſtponenda cenſentur, licet varia ex illo dignoſcuntur; p. 369.

coeruleam vidit vrinam IANUS PLANCUS, ſed dubia videtur obſeruatio eſſe; alba pallidâ, in criſi morborum obuenit Noſtro, gelatinoſa craſſa, in arthritide a BAGLIVIO adnotata fuit, ſimiliter in morbo eodem Noſter per veſicatorium gelatinam extractam reperit cum ſanitatis reſtitutione. p. 383.

Alia ſigna ex corpore deſumuntur, quae cum pari ac reliqua induſtria hic deſcribuntur, exſcreatio craſſa in inflammatione pectoris ab initio ſalutaris eſt, in primis, ſi vapore aceti promouetur, inflammationem autem ab initio diſcutit camphorae vſus. p. 407.

Temperamenta etiam diſcrepantiam faciunt, quo nomine Cl. Auctor eam corporis conditionem intelligit, qua homo ſentit, cogitat et agit, in morbis autem, quatenus morbos ſentit et diiudicat, ex quo non ſolum ipſorum morborum effectus differunt, ſed animus etiam patitur, qui pariter varia offert iudicia, praecipue, ſi vires eius ante mortem quaſi exſurgunt. Quamuis autem magna ſignorum copia eſt, omnia tamen rite penſitanda ſunt, vt hiſtoria morbi, verae experientiae fundamentum, conſtet. p. 444.

Non minus abſolute neceſſaria eſt aetiologia morborum, tanquam medicationis baſis, hanc autem doctrinam altera parte nunc perpendit Noſter. Ex diuerſis autem conditionibus communes perſpicere P. II.

p. 4. cere notas, res ingenii eſt, quod imaginationem et intellectum, quantum fieri poteſt, perfectum ſupponit, quum vero vtriusque huius requiſiti ſint gradus, eum a medici ingenio poſtulat gradum, vbi imaginatio et intellectus ſibi pares ſunt. Hoc ingenio ad experientiam veram opus habet medicus,
p. 23. nec anni illud faciunt, ſed ingenitum quaſi eſt: hoc etiam iuuante per analogiam, variorumque euentuum comparationem, ad veri ſpeciem ipſamque veritatem appropinquat medicus, id, quod adductis, ex inoculatione variorum morborum cet. exemplis
p. 44. Noſter confirmat. Sic mercurialis emplaſtri vſum variolas a facie auertere analogia feliciter iuſſit, ex qua verum diiudicare docet *inductio*, alter noſtrae
p. 49. cognitionis fons. Effectuum porro obſeruatio recte ad cauſſas ducit, quae difficulter inueniuntur: hinc omnino peritum prudentemque virum expoſtulant, nec a plebe dignoſcuntur, nec diiudicantur, praeconceptae eius opiniones variae adducuntur, diluuntur, licet in his haud raro etiam a medicis ad experientiam, ſed falſo, prouocetur. In cauſſis namque ſimplicium et compoſitarum notione opus eſt, quas expiſcari debet medicus ex aegroto, nec non diſcernere vim et magnitudinem cauſſae atque effectus, ſiquidem, quod cauſſa eſt, alibi effectus exiſtit. Iterum in his differentia eſt, quum aliae cauſſae remotiores ſint, aliae propinquiores et proximae morbi: ab illis ad harum cognitionem venit medicus, quae autem agenda ipſi ſint, vbertim explicat Noſter, rerum ſic dictarum non naturalium indolem copioſe indagans, ſimulque, vt ſolet, exempla vbique inſpergens, cauſſae efficaciam docturus. Ab aeris diſquiſitione ad cibos, potuum genera, motum et quietem, ſomnum et vigilias, excreta et retenta, tandemque animi adfectus pergit, quibus noxas a nimia animi intentione, nec non

non aliis conditionibus, a ſingulari corporis dispoſitione adiungit, et vires tandem corporis humani reſiſtentes harum cauſſarum virtuti perpendit. Aeris incluſi nec renouati pernicioſam indolem celeri- p. 181.
terque necantem, ſingulari, notatuque digniſſimo exemplo confirmat Cl. Auctor, vbi centum et quadraginta ſex homines, vni carceri incluſi, vna nocte ad viginti tres perierunt. Inter cibos ſecale cornutum admodum noxium eſt, quod conuulſiones et gangraenam excitat, cuius morbi hiſtoriam Noſter p. 244.
recenſet; dyſenteriam ab vſu horaeorum fructuum p. 256.
non excitari, contra vulgarem probat ſententiam. Pultes farinaceas infantum, tanquam praecipuam p. 264.
rhachitidis cauſſam, accuſat, atque gelatinas ex carnibus, debili ventriculo admodum noxias, pronunciat. Cupreorum vaſorum in arte coquinaria noxam, p. 284.
ELLERI tentaminibus commotus, adeo late patere negat, dum modo, quae cuprum ſoluendi potentiam habent, non adhibeantur. Calida potuum ge- p. 326.
nera recte inſidioſa eſſe, et potus Thee noxas variis morbis, in primis feminarum fluori albo be p. 341.
nigno, in Heluetia aeque ac apud nos non infrequenti, anſam praebere, multis argumentis docet. Loco ſuccoladae poſt haemorrhagiam, in atrophia p. 353.
et ſimilibus morbis, quum haec nimium exaeſtuet, potionem ex farina auenacea toſta et lacte cum pauca ſuccoladae quantitate commendat. Nimias p. 422.
poſt partum vteri haemorrhagias plerumque ex vteri ruptura fieri contendit, ſed ſine hac non infrequenter ipſam vteri peſſimam inertiam addimus, quippe qua, deficiente contractionis cauſſa, ad mortem ſanguis promte effluere deprehenditur. Animi p. 430.
adfectum et paſſionem diſtinguit, prior conſiſtit in ſola inclinatione, poſterior eſt effectus illius; inter alia timoris et terroris ſtupendi efficacia recenſetur, quibus etiam congrua adduntur exempla, ex quibus

remotae morborum cauſſae in aetate, ſexu, temperamentis, idioſyncraſia, variisque corporis et animi
p. 613. vitiis quaerendae, eluceſcunt. Tandem vero vires proprias corporis multa ferre, ſubigere, mutare demonſtrat, immo vires animi idem praeſtare coniicit, et exemplis confirmat, virium vero menſuram non perpendit.

Promittit etiam paſſim Cl. Auctor tertiam partem addere, quae de medicamentorum effectibus diſſeret. Quod in omni, vbi opus erat, demonſtratione varia exempla, quae vel a ſe ipſo vel ab aliis obſeruata ſunt, addidit, et lectu iucunda et doctrina plena eius euadit tractatio.

XVI.

An Eſſay on the moſt effectual Means of preſerving the Health of Seamen in the Royal Navy. Containing directions proper for all thoſe, who undertake long Voyages at Sea, or reſide in unhealthy Situations, with Cautions neceſſary for the Preſervations of ſuch Perſons, as attend the Sick in Fevers. By JAMES LIND M. D. Phyſician to the Kings Hoſpital at Haslar near Portsmouth, and Fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh. The ſecond Edition, improved and enlarged. London printed for D. WILSON. 1762. 8. pl. 20.

id eſt:

id eſt:

Tentamen ſuper remediis efficaciſſimis ad tuendam ſanitatem nautarum claſſis regiae, continens inſtructiones in vſum eorum, qui aut nauigationes longiores ſuſcipiunt, aut in locis parum ſalubribus degunt, adiunctis cautionibus neceſſariis ad praeſeruationem eorum, qui febre laborantibus opem ferunt. Auctore IACOBO LIND.

Hic liber etſi in vſum claſſis Anglicae potiſſimum conſcriptus ſit, multa tamen egregia continet, quae tum nautis in vniuerſum, tum iis, qui aegrorum curam gerunt, prodeſſe poſſunt. Primo p. 1. capite exponitur de praecauenda morborum contagioſorum in claſſe generatione. Sunt enim morbi nautis Anglicis tempore belli potiſſimum fatales et exitioſi, quum numerus eorum, qui ferro, naufragiis aut aliis eiusmodi caſibus tunc pereunt, nullius fere momenti ſit, ſi comparetur cum numero eorum, qui morbis in claſſe ſuccumbunt. Cauſſa praecipua, quae contagium belli tempore in claſſe gignit et diſſeminat, in eo conſiſtit, quod cogantur ad claſſis ſeruitium nautae, ex India aut aliis longioribus itineribus vix reduces, adeoque debilioris naturae; deinde, quod vilioris cuiusque generis homines, ex carceribus aut aliunde adducti, ad eundem vſum ſumantur. Quae Cl. Auctor contra hanc noxiam conſuetudinem facienda ſuadet, vti facile patet, extra Angliam nullum fere locum habent. Propius p. 13. tandem ad morborum conſiderationem accedens, de morbis in ſeptentrionalibus regionibus et in iis nauibus oriundis agit, quae per hiemem quoque in mari verſantur. Oriuntur vero illi potiſſimum ex humida frigidaque tempeſtate, atque maxima ex

parte catarrhales ſunt, et rheumaticae indolis. In his venaeſectio ſtatim in initio adhibenda eſt, quo phthiſis et rheumatici chronici morbi, quibus tam multi nautarum obnoxii eſſe ſolent, praecaueantur. Cepam alliumque cibis Noſter addere iubet, imprimis vero ſuadet, cereuiſiae tenuiori (*Small-Beer*), qua nautae vtuntur, quartam partem ſpiritus vini admiſcere, aut tincturae ſpirituoſae rad. gentianae vel alius eiusmodi remedii. Paratur haec ratione addito aceto vel cremore tartari, melleque vel ſyrupo vulgari potus genus, maxime nautarum et militum hiemali tempore ſanitati conducens, Ruſſis qui eo frequenter vtuntur, *Aſhbetten* dictum. Porro Noſter de modo vegetabilium ad claſſem commodius deportandorum, et ratione praecauendorum morborum ab exhalatione ligni recentis, ad con-
p. 23. ſtructionem nauium adhibiti, ortorum diſputat. Ad morbos tandem in auſtralibus regionibus maxime obuios accedens, primo carnes ſale conditas vini iubet, atque ad hanc rem luculentius confirmandam exempla nauium adducit, quarum nautae ſub hac cautione adhibita a morbis contagioſis immunes manſerunt. Addit deſcriptionem vegetabilia per ſatis longum tempus ſalis ope conſeruandi. Semina naſturtii aquatici aquae communi, quae pro potu in nauibus conſeruatur, inſerere ſuadet, qua ex re duplicem vſum oriri poſſe putat, primum, vt herbarum recentium copia ſemper adſit, deinde vt aqua ipſa, vi plantae huius impraegnata, antiſcorbuticum potus genus largiatur. Commendat porro potum illud genus, Anglis *Punch* dictum, et vt optimum antiſepticum cremorem tartari laudat. Addit tandem conſilia de ebrioſorum cura, et effectibus fulminis in nauibus praecauendis.

p. 49. Iam his generalioribus praemiſſis ad ſpecialiores morbos, qui in calidiore potiſſimum climate maxime perni-

pernicioſi ſunt, accedit. Ex his morbis praecipuus eſt febris putrida, intermittenti aut remittenti ſimilis, tertianae duplicatae typum quaſi habens. Haec a febre flaua (*yellow fever*), ſiue vomitu nigro (*black vomit*) differt, quae etſi putrida quoque ſit, tamen pauciores tantum et aduenas potiſſimum ex Europa in India occidentali inuadit. Prior vero febris in omnibus calidis regionibus vnus idemque morbus eſt, inter tropicos vero autumnali potiſſimum tempore obſeruatur. Vulgatiſſimum et optimum remedium cortex Peruuianus eſt, quem etiam Angli in Guineenſi littore contra hunc morbum vt praeſeruatiuum in infuſo ſpirituoſo cum cort. aurant. maximo cum fructu adhibent. Reliqua huius ſectionis pars cautiones tradit, nautis in littore minus ſalubri verſantibus vtiles. Subiungit nonnullas de aquae marinae in aquam communem per deſtillationem mutatione adnotationes.

In altera ſectione de remediis agitur, quibus p. 94.
contagii in nauibus propagatio impediri poteſt. Qua ratione naues purgandae, et aegrorum in iis cura habenda ſit, docet Noſter, inprimis vero iis, qui inter aegros verſantur, varia conſilia ad conſeruandam ſanitatem dat. Addit obſeruationes de venaeſectione praeſeruatoria, quae vulgo in nauibus, quae ex frigidiore in calidum clima transeunt, inſtitui ſolet, eamque non in omnibus temere concedi poſſe oſtendit. Reliquam libri partem variae de caloris diuerſis in regionibus gradibus cum eodem thermometro inſtitutae obſeruationes, et medicamentorum in morbis nautarum vtilium catalogus conſtituunt.

XVII.

An Eſſay on the medical conſtitution of Great Britain. To which are added Obſervations on the Weather, and the Diſeaſes, which appeared in the Period included between the firſt of Ianuary 1758, and the Summer Solſtice in 1760. Together with a Narrative of the Throat Diſtemper and the Miliary Fever, which were epidemical in the Duchy of Cleveland in 1760. Likewiſe Obſervations on the Effects of ſome Anthelmintics, particularly of the great Baſtard Black Hellebore, or Bearsfoot. London, printed for Miller and Wilſon. 1762. 8. 1 Alph.

id eſt.

Tentamen deſcriptionis phyſicae Magnae Britanniae, cui additae ſunt obſeruationes ſuper tempeſtate et morbis obuiis in periodo, quae fuit inter primum Ianuarii 1758 et ſolſtitium aeſtiuum 1760. Vna cum narratione de angina et febre miliari, morbo vtroque epidemico in Ducatu Cleuelandiae 1760. Nec non obſeruationes de effectibus nonnullorum anthelminticorum, inprimis Helleboraſtri GESNERI.

Auctor huius tentaminis, vti ex epiſtola dedicatoria ad Ill. PRINGLE, huic operi praefixa, patet, eſt CAROLUS BISSET, artem medicam Sheffieldiae *toni* in Cleuelandiae Ducatu, qui ad Eboracenſem
p. 1. Prouinciam pertinet, exercens. In *primo* capite de aere Magnae Britanniae in genere, tempeſtatibus ventisque agit, atque mutationes, quas aer pro diuerſa

diuerſa ſua indole in ſanitate incolarum huius inſulae producit, in genere disquirit. In vniuerſum in temperatiore aere inſulani viuunt, mutationesque tempeſtatum tantas tamque vehementiores et inopinatas non experiuntur, quam ii, qui in continente degunt. Quae etiam cauſſa eſt, cur aeſtas non tam calida, et hiems frigidior in Anglia, quam in ea, quae ex aduerſo ipſi poſita eſt, Galliae parte eſſe ſoleat. Qui ad maris littora habitant, hoc habent ex maris vicinia commodum, vt maritimus aer tanquam frigidior humidiorque aeſtiuo tempore aeris ſiccitatem et calorem minuat. Neque auſter, qui in aliis calidioribus regionibus adeo inuiſus eſt, in Anglia nocet, cum mare transiens aquae vapore temperetur. Maxima autem pars morborum, quibus vexantur Angli, ex ſubitaneis et frequentioribus mutationibus tempeſtatis ex calidiore in frigidiorem oritur. Contra vero id praecipui habent, vt magis, quam aliarum regionum incolae, a morbis malignis epidemicis liberi ſint, cum calor vel frigus raro modum excedant. Atque haec aeris temperies ſanitati hominum in Anglia admodum conducit, cum multi ad maiorum annorum numerum accedant. Totum vero annum medice conſideratump. 13.
Noſter in quinque periodos diuidit, atque ſingulas ſingulatim examinat. Hinc in *ſecundo* capite de periodo inter ſolſtitium aeſtiuum et primum diem menſis auguſti ita diſputat, vt primo aeris conſtitutionem, deinde morbos in hac periodo quam maxime communes indicet. Aeris temperies vt plurimum calida ſicca et conſtans eſt. Hinc ii, qui de reliquo bene valent et robuſti ſunt, optima valetudine hoc tempore gaudent, debiliores contra a nimio calore et inde proueniente ſudore peſſime adficiuntur. Morbi occurrunt in hac periodo vt plurimum inflammatorii, nec non pleuritides, haemor-

p. 34. rhagiae febresque bilioſae et contagioſae. *Tertio* capite periodum inter primum diem auguſti et aequinoctium autumnale Cl. BISSET conſiderat. Morbi huius periodi vt plurimum a qualitate tempeſtatis in praecedente periodo obſeruatae pendent. Sunt vero dyſenteria, morbi catarrhales, cholera, et febres intermittentes, quae ab initio vt plurimum irregulares ſunt; deinde vero regulari typo

p. 61. procedunt. *Quarto* capite de periodo inter aequinoctium autumnale et ſolſtitium hibernum agitur. In ea aer frigidus et humidus fere ſemper eſſe ſolet. Hinc perſpiratio aliaeque excretiones ſupprimuntur et plethora gignitur, quae venaeſectione, vel quod melius habetur, catharticis imminuenda eſt. Materia morbifica ex duabus praecedentibus periodis collecta in hac concoquitur, et vel e corpore eiicitur, vel ad cutem aut extremitates transfertur, qua propter ſcorbutici et rheumatici morbi in hac periodo frequentius occurrunt, vt intermittentes

p. 91. febres taceam. *Quinto* capite Noſter periodum inter ſolſtitium hiemale et aequinoctium vernale examinat, in qua corpus bene perſpirat, optimeque valet. Interim tamen pro diuerſitate tempeſtatis praecedentis periodi inflammatorii quoque et catar-

p. 116. rhales morbi oriuntur. *Sexto* capite aeris temperies in periodo inter aequinoctium vernale et ſolſtitium aeſtiuum conſideratur. Ea inconſtans eſt, ſed frigidior. Venti frigidiores ſunt et frequentiores in hac periodo, et corpora haud raro laedunt. Humores corporis humani pituitoſi ſunt, vnde catarrhales morbi, peripneumoniae ſpuriae, febresque oriuntur intermittentes, in quibus ſpiritus ſalis ammoniaci optimum remedium eſt, quod ipſius corti-

p. 158. cis Peruuiani vires ſuperat. His praemiſſis Cl. Auctor obſeruationes ſuas de aeris conſtitutione, anno huius ſaeculi quinquageſimo octauo et ſubſequente

vere

vere in Ducatu Cleuelandiae factas, ita proponit, vt deſcribat morbos hoc tempore maxime obuios, methodumque, qua in eorum medela vſus eſt. Exponit vero primo aeris temperiem, qualis fuit ea per tres annos praecedentes. Quod vero ad ipſos morbos attinet, difficile omnino videtur, ex illa narratione tam arcte nexa excerpta dare. Huius tractationis continuatio in ſubſequente capite continetur, cui tamen Cl. BISSET febrium bilioſarum, quae menſe iulio et auguſto in Cleuelandia graſſabantur, hiſtoriam adnectit, quatuorque aegrorum caſus proponit ita, vt de ſingulis ſuum quoque ferat iudicium. Quartanae typum quaſi ſeruabant; aderat in iis vomitus bilioſus, et icterus accedens ſemper lethalem exitum praenuntiabat. BOERHAAVIUM Noſter re- p. 199.
futat, qui aphthas, quae in contagioſis morbis nonnunquam obſeruantur, peſſimumque ſymptoma ſunt, ab aphthis infantum raro lethiferis non ſatis diſtinxit. Capite *nono* vlterius hac in re progredi- p. 263.
tur, et inprimis eruptionem ſcorbuticam epidemicam, in qua mercurius ſublimatus corroſiuus, externe interneque adhibitus, plurimum praeſtitit, deſcribit. Diſputat quoque de cauſſis occaſionalibus febrium intermittentium, et catarrho epidemico equorum, tunc temporis in prouincia ſua vulgari.

Subiungit narrationem de angina epidemica et p. 285.
febre miliari, qui vterque morbus epidemicus et contagioſus in Ducatu Cleuelandiae, anno huius ſaeculi ſexageſimo obſeruatus eſt. In his venaeſectiones, laxantia lenia, veſicatoria, refrigerantia et diluentia maximum vſum habebant. In deglutitione maxime impedita ſcarificationem faucium Noſter cum ſucceſſu adhibebat. In aliis cannulae argenteae aut catheteris ope, qui in foeminis adplicari ſolet, alimenta ad oeſophagum per tumidas fauces inſtillauit.

p. 329. Quae de anthelminticorum nonnullorum virtute in fine additae ſunt obſeruationes, eae potiſſimum concernunt vſum *Helleboraſtri maximi* GESNERI (Anglis *the great baſtard black Hellebore* or *Bearsfoot*). Adhibetur autem haec planta vulgo in Ducatu Cleuelandiae ad expellendos vermes, potiſſimum lumbricos, ſummo cum fructu. Doſis eſt drachmae vnius foliorum recentium in decocto, aut, ſi folia ſiccata adhibentur, infantibus quatuor vel ſeptem annorum grana quindecim dari ſolent. Si ſufficiens vel maior doſis porrigitur, tunc Helleboraſter emeticam virtutem haud raro exercet, ſaepe quoque aluum leniter mouet. Vſus vero huius plantae per duos vel tres dies continuandus eſt. In vniuerſum autem inter praeſtantiſſima anthelmintica numerari meretur, cum non modo certiſſimum effectum in expellendis vermibus habeat, ſed et tuto adhibeatur. Nullum enim notum ſibi eſſe caſum Noſter aſſerit, in quo Helleboraſter non exoptatiſſimum praeſtiterit fructum. Vtitur autem potiſſimum ſucco ex foliis expreſſo, et in ſyrupum redacto, cuius cochleare vnum veſpertino, vnum vero vel duo matutino tempore per duos vel tres dies praebet. Coniungit vero cum hoc remedio ſimul vſum tincturae rhabarbari ſpirituoſae, quo aluus ſemper libera ſeruetur. Commendat etiam vſum huius ſyrupi, vt optimi reſoluentis, in morbis pituitoſis pulmonum et primarum viarum.

XVIII.

PAULI VALCARENGHI, Phyſici Collegiati Cremonae, Ferrariae, Brixiae et Venetiarum, Comitis et Equitis, Primar. Med. Prof. in Regia Ticinenſi Vniuerſitate, et in ſcholis palatinis Mediolani, Bononienſis Acad. Inſtituti Scient. et Botan. Florent. Socii, Collegio nobilium Phyſicorum Mediolani, ob honorem diſtincte aggregati, Seren. Duci Mutinae a conſiliis medicis etc. de praecipuis febribus ſpecimen practicum ad VINCENTIUM filium, Phil. et Med. Doctorem. Cremonae, 1761. apud Petr. Ricchini. 4. pagg. 298. praef. pagg. 20.

Febrium doctrina, qua grauius vix vllum in medicina clinica exiſtit caput, adeo multis, quoad eſſentiam earundem, premitur difficultatibus, vt in diuerſas quam maxime abirent ſententias, quicunque de iis ſcripſerint optimi Auctores. Cl. VALCARENGHUM itaque non inanem adhibuiſſe operam arbitramur, quod aliqua de febribus retexerit, atque praecipuas earundem differentias et curandi rationes filio ſuo expoſuerit. Cum vero vt plurimum veſtigiis celeberrimorum practicorum v. c. HIPPOCRATIS, SYDENHAMI, BOERHAAVII, VAN SWIETEN, GORTERI, HAENII etc. inhaeſerit ita, vt, non niſi, vbi diſſenſus intereſſe, aut vbi rationes eorum haud ſufficere videbantur, ab iis receſſerit: aliqua ſaltim ei magis propria hic tradere noſtrum eſſe putamus.

Praemiſſis quibusdam ad filium monitis, atque febris eſſentia, exiſtentia et phaenomenis expoſitis, largitur quidem Noſter, ob velocitatem pulſus,

ſus, quae cum functionum laeſione praecipuum et pathognomonicum quaſi ſignum eſt, febrim dici poſſe morbum cordis; quoniam vero ad ideam generalem atque differentias febrium rite determinandas ampliorem quoad effectus, cauſſas atque ſymptomata, earundem definitionem formare neceſſe
p. 15. ſit: ſatius exiſtimauit definire, quod *febris* ſit *calor, concitatus et inſolitus ſanguinis motus, cum aeſtu, ab intra factus et permanens, calorem acrem, aut rigorem, aut vtrumque variis modis excitans, cum actionum praecipuarum laeſione.* Cum mutua ſolidorum aeque ac fluidorum actione naturalis fiat ſanguinis motus, febris vero idea ab eiusdem concitatiore motu repeti debeat: deducitur, vel in ſolidis, vel in fluidis, vel in
p. 30. vtrisque, latere eius cauſſam. Quilibet tamen alter tus ſanguinis caeterorumque humorum motus febrim non efficit, ſed is tantum, ob quem *aeſtus* ſine efferueſcentia, vt chemici dicunt, contingit. Solidae corporis partes, ſiue relaxatae ſiue nimis elaſticae, vel male formatae, motum quidem imminutum aut concitatiorem ſanguinis efficiunt, quia autem aeſtum non producunt, febrim excitare non
p. 35. valent; ergo in fluidorum et praecipue ſanguinis immutata diatheſi latet id, ob quod aeſtus excitatur. Oritur autem hic, ſi ſanguini heterogeneae particulae admiſcentur, ab extra v. c. variis pharmacis, miasmate varioloſo, venereo, putrido, venenis, etc. vel ab intra, ſi ſanguis ſtaſi corrumpitur, pro gradu corruptionis diuerſus. Stagnans ob inflictum vulnus ſanguis calore corrumpitur, irritans et putridus euadit, et vehementem excitat aeſtum, qui facta ſuppuratione iterum imminuitur: hinc itaque differentia maxima enaſcitur inter pus verum maturum et ſanguinem corruptum: hinc phthiſicorum aeſtus febrilis, qui primum oritur, grauior, qui vero pus formatum ſequitur, mitior, et varius eius decurſus expli-

explicatur. Sanguis, ſi corrumpitur, ſiſtit cauſſam p. 44.
vehementiorum febrium, v. c. ephemerae, ſynochi, acutarum et inflammatoriarum; lympha putreſcens mitiorem excitat aeſtum in febribus lymphaticis; bilis corrupta et aeſtuans vehementes etiam, periodicas tamen vtplurimum efficit febres; lympha artus obliniens, ſi ibi concreſcit, vt in arthritide, excitat febrem catarrhalem; ſuccus ſpermaticus et lympha aphrodiſiaca aeſtum febrilem ſuſcitare nequeunt. Veterum diſtinctio febrium in ephemeras, putridas et hecticas reiicitur; a modo et tempore potius, quo febris ſuum conficit curſum, deſumendam eſſe diſtinctionem cenſet Noſter, vnde vel continuae, vel intermittentes. Continuae ſunt vel continentes, vel p. 50.
periodicae continuae; periodicae vero febres ſunt vel continuae, vel vere intermittentes. Harum febrium fomes vel ſanguini non ſemper immixtus, vel non eodem modo ſemper agens, tum quantitate maior aut minor, tum qualitate varia, viciſſitudines earum efficit; hinc febris tertiana, quartana, quotidiana, cet. Cauſſa in continuis febribus aeſtum efficiens, ab initio vsque ad finem morbi permanens, etiam tum quantitate, tum qualitate diuerſa, diſtinctionem ex ſymptomatibus eruendam praebet, ſiquidem eſt alia acuta febris, alia ephemera, ſynocha, petechialis, varioloſa, miliaris, inflammatoria, peſtilens aut vtcunque epidemica, cet. quorſum et hectica febris refertur. Plurimae harum febrium ſpecies ſunt aut eſſentiales aut ſymptomaticae.
Acuta febris dicitur, quae breuis non ſolum eſt, p. 55.
ſed etiam cum periculo procedit; exiſtimat tamen Noſter, eas cum HIPPOCRATE acutas dicendas eſſe febres, quae die decimo quarto terminari ſolent, nec facile vltra protrahuntur, niſi error in medela aut diaeta, aut nimia virium debilitas acceſſerit. Acutarum porro febrium eſſentia et ſymptomata

disqui-

disquiruntur, atque vt ratio, qua differant a periodicis tertianis continuis aut remittentibus, appareat, harum character genuinus et ſigna fuſius exponuntur. Vrina lateritia, quae in febribus periodicis tertianis obſeruari ſolet, et graues hepatis morbos, febriumque, in quibus talis mingitur, a male affecto hepate exortum indicat, ſignum eſſe dicitur intermittentis febris. Comparationem porro acutae febris cum tertiana continua inſtituens Noſter, veria ſymptomata acutae propria recenſet, et monet, ex rigoris atque horroris acceſſionibus, vt ſignis aequiuocis, ab initio ad morbi indolem non poſſe concludi, qui etenim primis diebus benignus morbus et febrim tertianam continuam ſimulare videbatur, poſt quartum aut ſeptimum diem ſaepius
p. 77. euaſit malignus. Febris continuae remittentis ideam negligendam eſſe coniicitur, quippe differentiae eius plurimae ad fomitem febrilem ſpecialem aſſignari poſſint, qui vel ab intermittentibus, vel a continua continente ortum habeat: hinc ſpecies vna ad intermittentes, altera ad acutas febres pertinere dicitur, curationem quoque cauſſis hisce conue-
p. 88. nienter inſtitui, neceſſe eſſe. His de differentiis febrium praemiſſis, methodus acutis medendi generalis proponitur. Agitur de venaeſectionis ſub initium morbi vſu et abuſu. Blandi emetici atque purgantium vtilitas exponitur. Cum in acutis nullum innotuit ſpecificum, quale in periodicis eſt chinachina, ſufficit, venaeſectione praemiſſa, potionibus attemperantibus, clyſteribus, frictionibus, cucurbitulis dorſo applicatis, ſymptomatibus mederi: id vero inprimis curandum eſt, vt criſes vtiles excitentur, et circa declinationis tempus attendendum, per quas vias natura eas moliatur, quas adiuuare medicum decet. Ita v. c. in febribus meſentericis aliisque acutis, quarum cauſſa potiſſima in abdo-

mine

mine conſiſtit, alui excretiones epicratica purgatione, iteratis clyſteribus aut rhabarbari et nitri anaticis portionibus, ſingulis aut alternis diebus exhibitis, cum leuamine promouentur. Nocet tunc venaeſectio. Si vero inflammationis adeſt ſuſpicio, alui purgatio nocet. Diarrhoea cum leuamine eſt proſequenda, ſymptomatica vero coercenda; hinc in aliis in initio et progreſſu morbi purgatio vtilis, ſecus in aliis. Commemoratur diſtinctio febrium in venoſas et gaſtricas, a BALLONIO ſtabilita, quarum hae catharticis, illae phlebotomia curantur. Diaphoreticorum calidaeque ſic dictae methodi noxa exponitur. Arbitratur enim Auctor, ſi ſudores ciendi ſunt, quod interdum, licet rarius, neceſſe eſt, abſtinendum eſſe a calidis diſſoluentibus, cum ſufficiat, aerem frigidum euitare, aegros in lecto coopertos magis continere, frictionibus vel potionibus attemperantibus id efficere. Taxantur et ii, qui diaphoreticis fortioribus malignitati, ſomniatae quidem, reſiſtere atque petechiarum, quas forſan vt abſceſſus criticos cutaneos, falſo tamen, aſſumunt, eruptionem promouere contendunt, ſiquidem eae ſiſtunt exanthema ſymptomaticum, nullo modo criticum, vt RAMAZZINUS ſtatuit. Putat Auctor, petechias eſſe minimas cruoris in cutis interſtitiis coagulati ſtaſes, quae vt totidem minimae ecchymoſes, a diſſolutione et nimio impetu ſanguinis enatae, habendae ſint. Quas tamen, ſi aer calidior vitetur, et aegroti extra lectum detineantur, auerti et tolli poſſe, vti Cl. HAEN cenſet, Noſter negat, et eas prorumpere vidit ſub eodem regimine ac ſub temperantium demulcentium medicaminum, ſuccique limoniorum vſu. In apparentibus petechiis, ſi materies in inteſtinis turget, clyſteres iterati ſi ſufficiunt, non ita facile purgantia praeſcribenda eſſe arbitratur. Criſeos poſthac metaſtaticae,

ticae, quae in partibus ſpecialibus per abſceſſus, interdum alia ratione contingit, ortus, cauſſae, ſigna, noxa ſi pus reſorbetur, atque modus curandi proponitur. Abſceſſus hi externi omni modo fouendi et maturandi ſunt, ſi vero maturatio tardius ſuccedit, vt in parotidibus, eo citius aperiendi, quod etiam ferro ignito fieri ſuaſit Cl. GLASS. Ex analogia horum abſceſſuum introductus eſt veſicatoriorum vſus, quem inutilem et nocuum aliquando, tam in petechialibus et acutis febribus, in quibus reſolutio ſanguinis adeſt, quam in morbis pectoris inflammatoriis, expertum eſſe VALCARENGHUS fatetur. Paregorica, a SYDENHAMO adeo laudata, caute vſurpanda eſſe monet, ſeminum vero papaueris virtutem anodynam et ſomniferam negat.

p. 141. Sequitur aliarum continentium febrium tractatio. *Ephemera febris* atque *ſynochus* vt morbi benigni conſiderantur, eorumque differentiae, cauſſae, ſigna et curatio deſcribuntur. Febris *variolarum* inflammatoria aeque ac ſuppuratoria, eruptionis modus, vt et ſymptomata peſſima ex pure retrogreſſo et ad viſcera interna proiecto, enumerantur. Cruſtae ſiccae, ad foueas cauendas, oleo amygdalarum dulcium illiniri poſſunt. Miasma varioloſum veneni ad inſtar operari, ex inſitione variolarum patere, exiſtimat Cl. Auctor, de qua iudicium ſuſpendet, attamen ſatius eſſe arbitratur, exſpectare, donec natura hunc morbum efficiat. Cum vniuerſalis variolis medendi methodus inuenta nondum ſit, optimum eſſe iudicatur, curationem maxime naturae committere, hancque, ſi opus ſit, aliquomodo adiuuare, vel ſymptomatibus caute ſuccurrere. Alui fluxus abundantior non augeatur, in ſuppuratione nocet: ſtiptica aluus clyſteribus curatur. Temperantibus et demulcentibus, quae incidunt

dunt et putredini reſiſtunt, atque aquae purioris, cum ſucco limoniorum coniunctae, potu aeſtus nimius compeſcitur; aeris tandem purioris renouatio et modica vini generoſi doſis vt cardiacum commendatur. Variolarum febri plurimum ſimilis eſt p. 150.
morbillorum febris continua, quam diuerſae cutis exoretiones comitantur, vt morbilli, ſcarlatinae, purpuratae maculae, aliaque exanthemata, cito euaneſcentia. Morbilli, quibus prae aliis pueri obnoxii eſſe dicuntur, in auſtrali conſtitutione, vere praecipue, rarius hyeme et autumno, grauem nonnunquam morbum ſiſtunt, et epidemice vt variolae graſſantur. Differunt a variolis in eo, quod nunquam in ſuppurationem abeunt, quod aeſtuans humor ſeroſus aut lymphaticus eſt, mox exhalans et ſquamulas relinquens. In curatione inueſtigare neceſſe eſt, vtrum a nimio humorum aeſtu, quo in caſu attemperantia proſunt, an a deprauata humorum diatheſi, v. c. ab vlcere pulmonum, cui, omiſſa venaeſectione, temperantibus et antiſepticis ſuccurrendum eſt, prouenerint. Miliaria, tum quae febres acutas comitantur, tum quae ab interna ſuppuratione oriuntur, ſymptomatica eſſe, quae diaphoreticis non promouenda ſint, oſtenditur: contra ea potius alui laxitatem, purgantibus antiphlogiſticis inductam, plurimum valere deducitur ex eo, quod in purpura puerperarum diaphoreticorum vſu exoretio puerperii imminuitur. *Hectica* tandem ha- p. 166.
bitualis, quamquam chronicus morbus, continua febris eſſe a Noſtro dicitur, eiusque progreſſus et ſymptomata deſcribuntur. Symptomatica ſaepius eſt, a laeſione partis organicae maxime ab vlcere originem ducens; ab vlcere pulmonum exorta *Phthiſis* nuncupatur. Ab vlcere, quod haemoptyſin praegreſſam ſubſequitur, periculoſior ac breuior eſt morbus, quam qui ab vlcere a tuberculis ibi

ſuppuratis prouenit. Curatio in eo conſiſtit, vt ſanguis a corrupto ſeu purulento ichore liberetur, vlcus abluatur et detergatur, et ſecedens pus per alia colatoria educatur, priusquam ſanguinem inficiat. Hectica febris, ab vlcere externo enata, non niſi vlcere depurato ſanatur. Curatio interna, cuius ratio ab externa deſumitur, pluribus quidem obnoxia eſt difficultatibus, attamen peragitur, ſi attemperantium et diluentium ex vegetabilibus vulnerariis potionum continuato ad menſes vsque vſu remedia balſamica gummoſa adiunguntur. Praeſcribere ſolet Noſter inter reliqua balſamica potiſſimum balſamum de copaiba, de cuius vſu in internis pectoris ſuppurationibus congruo etiam alia adfert teſtimonia, ſeque plures hac methodo ſanaſſe affirmat. Victum ſuadet farinaceum; lac, quia generando puri aptiorem ſubminiſtrat materiem, et vlcus indolordidum magis reddit, caute admodum, phthiſeos initio nunquam, nec niſi deterſione vlceris maximam partem balſamicorum ope iam facta, in vſum vocari cenſet. Quae praeter hanc ſymptomaticam febrim interdum a nimia ſanguinis diſſolutione ſeu ſpontanea corruptione enaſcitur febris, eſſentialis dicenda, eius, vti et aliarum huiusmodi ſpecierum, curatio ſecundum ſpecialem humorum noxiam indolem inſtituenda eſt.

p. 178. His de continuis febribus expoſitis, intermittentium conſideratio adiungitur. Harum cauſſam efficientem modo extra modo intra ſanguinem conſiſtere, indeque vices earum eruendas eſſe, verosimile videtur Cl. Auctori: neque dubitat iſte, cum GORTERO bilem vt praecipuam cauſſam aſſignare, quia omnia harum febrium phaenomena inde declarari poſſunt. Intermiſſionis varietas praecipuas differentias definit: hinc tertiana ſimplex, duplex, duplex continua, quartana ſimplex, duplex aut triplex;

plex; quotidianae vtut rariſſimae, et quae cum tertiana duplici facile et ſaepius confunditur, vlterior conſideratio eſt omiſſa. *Tertiana febris ſimplex* eſt vel exquiſita, vel ſpuria ſiue notha. Illa, quae vltra octauam horam vix protrahitur et mox ſponte definit, medici curam non adeo exigit, et labiorum ſciſſuris vt criſi completa iudicatur: haec vero, quae protractiores paroxyſmos et aeſtum mitiorem habet, a bile, minus quam in exquiſita feruente, at tenaciori et acriori, atque difficilius ſolutu, pendens, diu protracta pernicioſa euadit, et diuturnis morbis occaſionem praebet: hinc duplici methodo, altera eradicatiua, altera palliatiua curanda eſt. Illa, quae leni emetico aut purgante remedio peragitur, huic praeſtat; ſi pertinax eſt febris, etiam epicratica purgatio conuenit: quo in caſu etiam ad palliatiuam curationem deueniendum eſt, quae chinachina perficitur, vel cum rhabarbaro, vel cum aliis commixta remediis. Purgantia febrifugi vim minime compeſcere, neque commixta ſibi contrariari cenſet Noſter, inſimul varias circa chinae vſum tradit regulas, eamque vltra tres vncias exhiberi vetat. Febris, in qua paroxyſmi alternatim inſurgentes ſibi reſpondent, *tertiana duplex* vocatur. Fomes bilioſus auctus conſtituit cauſſam, vt ex ſimplici in duplicem transeat morbus, vel in continuam grauibus ſymptomatibus moleſtam mutetur. Si intermittens eſt, eo modo, quo tertiana ſpuria curatur. De continua animaduerti meretur, vtrum ab initio continua fuerit, an poſt aliquot demum acceſſiones? Prior, autumno inſurgens, chinachina quidem non ſubito ſedatur, iterato vero eius vſu ceſſat; quod ſperandum non eſt, ſi citius recurrit paroxysmus, ſine praegreſſa criſi per diaphoreſin aut aluum, quo in caſu purgans febrifugi vſui interponendum eſt: altera, primum intermittens, aeſtate

p. 186.

p. 203.

inſurgens, cur poſtmodum et autumno praecipue continua euadit, exponitur: continuas acutas exinde fieri, concedit Noſter, non vero continentes, quia chinae vſu euincuntur, quo continentes nunquam profligantur. Huiusmodi febres ob diuerſum procedendi modum, et ob ſpecialia perniciosaque ſymptomata, diuerſis nominibus inſigniuntur, ac ſubintrantes, remittentes, proportionatae, lipyriae, hemitritaeae et ardentes ſunt nuncupatae. Febris
p. 210. continua *ſubintrans* dicitur, ſi alter intermittentis tertianae duplicis paroxysmus citius, quam prior finitus ſit, ſubintrat. Circa autumnum graſſatur. Fomes bilioſus in ea maior atque tenacior eſt, quam in intermittentibus; qui tamen, cum ab intermittentium fomite ſit, eandem, ac intermittentes requirit curationem. Optimum eſt, eam praecauere, quod fit, ſi febris tertiana ſpuria, certis ſymptomatibus, ſubintrantem talem indicantibus, ſiſpata, praemiſſo emetico aut purgante remedio, chinae vſu mox tollitur. Illico ſubintrans etiam chinam expoſcit, qua, etſi quidem recidiua non praecaueatur, in intermittentem veram ſaepius conuertitur, ſenſim decreſcit, et inprimis verſus hyemem euaneſcit, quo in decremento purgans et china exhibendum eſt, ne eueniat circa ver recidiua, quae etiam iterato vſu purgantium febrifugis admixtorum, adhibitis ſimul attemperantibus et ape-
p. 218. rientibus, auertitur. *Remittentes* febres, quae vix differunt a ſubintrantibus, ſi ab intermittentium fomite pendent, harum medelam exigunt, ſi vero ad continuas illegitimas pertinent, ſecundum ſpecialem humorum corruptionem tractandae ſunt.
p. 220. Febres, quas Cl. TORTI *proportionatas* appellauit, ex ſubintrantibus et intermittentibus emergunt, in exortu ad intermittentes magis, in progreſſu ad continuas acutas magis pertinent, et certas habent

periodi-

periodicasque incrementi ac decrementi ſui vices. Aliae ex his exſerunt naturam ſubintrantis, aliae ſimpliciter remittentis, quae differentia in curatione attendenda eſt. Vtriusque ſigna adducuntur, et cortex peruuianus quatenus in his conueniat, determinatur. Febres huiusmodi complicatae, v. c. ſi morbis inflammatoriis, vel in phthiſicis hecticae, tertiana ſimplex aut duplex accedit, prorſus quidem non tolluntur chinae vſu, imminuuntur tamen, quia id, quod ab intermittente eſt, ceſſat. *Lipyria* febris etiam ab intermittentium fomite prouenit, periculoſiſſima eſt et endemica, Mantuae et Cremonae quotannis fere accidens: ſiue ſimplex ſiue duplex tertiana primum fuerit, increſcente lipyria in continuam mutatur, atque praeter aeſtum ſummum, extremorum frigus, ſudorem frigidum et algorem eadem fere, quae iliaca paſſio, habet ſymptomata, ſubſequente in imo ventre inflammatione, cuius cauſſa in bile feruente et acerrima conſiſtit. Congrua in initio medendi methodo adhibita, morbus, quamquam grauiſſimis ſymptomatibus ſtipatus, facile tollitur, ſi vero ad ſummum peruenerit et inflammatio formata ſit, nullam admittit curationem. Febres hae plerumque in tertio, interdum quarto paroxyſmo, in lipyriam mutantur. Curatio etiam duplex eſt, vel prophylactica vel curatoria: ad priorem requiritur, vt quam primum ſymptomata lipyriam praeſagientia v. c. diuturnior et inordinatus febris acceſſus, cardialgicae ſtomachi paſſiones, anxietas, vomitus aut alui fluxus bilioſi cet. in ſecundo vel tertio acceſſu deprehenduntur, illico cortex peruuianus, et priusquam alter paroxyſmus accedat, ad ſesqui vnciam iteratis doſibus, vel ſimplex, vel cum electuario diaſcordio aut theriaca, aut, quod melius eſſe putat Noſter, cum vino maluatico aut alio generoſo propinetur. Emetica caute admo-

p. 234.

dum, et purgantia, ſi neceſſaria, mox poſt primum acceſſum ſunt praeſcribenda. Chinae cortex, ad tres ſaltim vncias ſumtus, non ſolum praecauet lipyriam, ſed etiam in incepta, dummodo nondum ad ſummum peruenerit gradum, ſaepius, immo praeſente iam ſingultu, aliquoties profuit. Neceſſe etiam eſt, vt intra diei vnius ſpatium ſaltim ſesqui vncia eius iteratis doſibus cum duabus vnciis vini maluatici, cuius vim reſoluentem et cardiacam magni facit, exhibeatur, et ita vſus eius continuetur, donec tres vnciae adſumtae ſint. Quodſi autem eo inflammatio viſcerum iam formata non ſoluitur,
p. 246. mors certiſſima ſequitur. Ad *Hemitritaeae* ſeu *ſemitertianae* febris curationem Cl. Auctor arbitratur maxime intereſſe, vt cognoſcatur, vtrum ab intermittentium, an a continentium cauſſa eius origo ſit deriuanda, atque vtrum eſſentialis, an ſymptomatica, vel ex vtrisque complicata ſit, quod ex ſignis variis diuerſoque morbi decurſu apparet. Prior ſpecies china tollitur, poſterior vero requirit, vt praua ſanguinis diatheſis auferatur; ſi ex vtrisque complicatus eſt morbus, china eum quidem penitus haud fugat, tamen mitigat, febrem intermittentem ſup-
p. 254. primendo. Eadem etiam diſtinctio in *febre ardente* ſeu *cauſone* veterum, ob pracualens ſymptoma, ardorem ſcilicet fere vrentem, ita dicta, locum habet, quippe quod iſtud et in continuis continentibus et in intermittentibus obueniat. Cauſſa exiſtit in bile aeſtuante et acerrima facta: hinc purgantia congrua vel iterati clyſteres ad eam educendam cum temperantium ac laxantium vſu conueniunt, atque melius eſt, a chinae vſu abſtinere, niſi tertianae pernicioſae ſpecies ſit, vt lipyria. Vltimo tandem loco
p. 262. *quartanae febris* conſideratio adnectitur. Huius cauſſa eſt bilis tenacior, quam in tertiana, vnde fit, vt non tam cito in actum redeat. Simplex, duplex aut

aut triplex eſt, pro quantitate maiori minoriue fomitis bilioſi; ſimplex vt plurimum incipit, poſtmodum duplex aut triplex fit, quarum curatio raro ſperari poteſt, niſi in ſimplicem degenerent. Curatio itidem duplex requiritur, vel eradicatiua, quae purgantibus aut emeticis, amaris et aperientibus decoctis atque rhabarbaro abſoluitur, et primum adhibenda eſt; vel palliatiua, quae tunc ſolum locum habet, ſi nimis contumax febris, vel aeger nimis debilis ſit. Ad hanc ſufficit vſus chinae, inprimis ſi admiſcetur extr. abſynthii et pulv. flor. chamomill. cum ſale centaurii minoris. Nonnulla adduntur etiam remedia poſt profligatam febrim contra infarctus in hypochondriis exortos vtilia.

XIX.

Binae ex nonnullis rariores morborum hiſtoriae, quas ex aduerſariis ſuis deprompſit, iurisque publici, ſortem ſuam experturas, fecit ANTONIUS LIZZARI. Ph. et Med. Doct. Venetiis 1761. typis Antonii Zatta. 8. pl. 2.

Nuper demum ſcripta, quae ex aliquot annis Cl. Auctor edidit, ad noſtras peruenerunt manus, quae itaque cum ignorare Lectores noſtros nolimus, ſucceſſiue nunc breuiter perſtringemus. Ordimur ab hoc libello, qui binas continet obſeruationes, deſcriptu dignas, quarum prima virum ſiſtit 40 annorum, gutta roſacea, vagaque impetigine humida aeque ac pruriginoſa diu affectum, qui, poſtquam haec excretio cutanea ſubito euanuerat, febre continua decubuit. Sanguine ex vena brachii extracto, qui diatheſin phlogiſticam prodebat, ſymptomata febris paullulum remiſerunt, ſed faciem vndiquaque eryſipelas phlegmonodes occupauit, quod

a capite per collum, humeros et dorſum ad pectus et ventrem, vmbilicum vsque deſcendit. In partibus eryſipelate hoc obſeſſis veſiculae excitatae ſunt, quarum aliae in ſuperficie cutis tantum haeſerunt, aliae autem ad contextum celluloſum vsque penetrarunt, ichore viſcido corruptoque repletae. His copioſe abdomen conſperſum eſt, quae poſt breuem ſuppurationem euanuerunt. Protinus vero aluus turbata eſt, et febris, animi deliquium, alternus extimarum partium algor aegrum inuaſerunt; abdomen maxime intumuit, ita vt paracenteſis in auxilium ſit vocata. Viginti quinque libris ſeri turbidi eductis, ſymptomata, et tumor ſenſim ſenſimque imminuta ſunt, et aeger valuit, donec ineunte autumno febris ephemera ſpuria, ſimilisque abdominis tumor eum denuo corripuerunt. Repetita vero ſingulis menſibus ter quaterue paracenteſi, ſucceſſiue noningentae et octoginta librae lymphae eductae ſunt, tandem menſe maio ſequentis anni ſubito oborta vehementiſſima febris, cum regrediente in facie eryſipelate, aegrum enecauit. Secto cadauere, peritonaeum a muſculis ſeiunctum, et ad inteſtina propulſum, inuentum eſt, omentum putredine fere corruptum, meſenterium ſcirrhoſum, renes vero, vreteres, et veſica ſine omni labe, hepar in inferiori parte hydatidibus liuidisque maculis obſeſſum, et veſicula fellea omni fere bile vacua. Adiectis adnotationibus, Cl. Auctor raritatem huius morbi vrget, quoniam aeger per omnem morbum parum ſitiit, multum minxit, et nihilominus tantam aquarum copiam collegit.

p. 17. Altera morbi hiſtoria reſpicit foeminam, podagram nodoſam, nephritidem, colicam bilioſam, icterumque ſaepius perpeſſam. Haec, 66 aetatis anno, denuo grauiſſimo podagrae inſultu et vehementiſſimo animi moerore correpta eſt. Superuenit color

lor ictericus, et tunc podagrici quidem dolores imminuti sunt, paullo post tamen de pondere in sinistro hypochondrio, tumoreque lienis aegra est conquesta. Quamuis vero adplicatis remediis emollientibus et anodynis inter summos cruciatus duo grandiores lapides cum vrina excreti sunt, tumor tamen in sinistro hypochondrio magis magisque increuit. Ex vrina foetidissima, viscida, atque mucosa, vomituritione, omniumque ciborum nausea, concluſum est ad abscessum a podagra retrogressa, in rene, nec, vt ante creditum erat, in liene ortum. Adhibitis hinc medicamentis suppurationem adiuuantibus, balsamicisque diureticis, septimestri spatio vrina pure remixta prodiit, tumorque plane subsedit. Autumno vero denuo maximae molis cal- p. 22.
culus excretus, tumor in hepate iam icterum producens, et in cute pustulae limpidissimo sero turgentes, prurientesque sunt obseruatae. Post sectas in vtraque manu venas, sanguine ad animi deliquium vsque extracto, spes recuperandae valetudinis apparere visa est. Sed protinus aegra memoriae debilitatem percepit, febrimque denuo incensam. Denuo igitur secta est brachii vena, ano adplicatae hirudines, iusculaque viperina propinata. Quibus foemina ita conualuit, vt, exacto demum decennio, dysenteria cum febre acuta perierit.

XX.

Phytographia ſacra generalis. Diſſert. Auctore IOANNE GESNERO. Med. Doct. Phyſ. et Matheſ. Prof. Publ. etc. Tiguri, 1759. 4 pagg. 28. Eiusdem phytographiae ſacrae Pars practica prior. ibid. 1760. pagg. 56. Pars practica altera. ibid. 1762. pagg. 54 Pars practica tertia. ib. 1763. pagg. 30. et Pars practica quarta ib. 1764. pagg. 31.

Quum quotannis Tiguri ſummorum in philoſophia honorum candidatis diſſertatio quaedam proponi ſoleat, eo conſilio, vt in ea defendenda ii vires ſuas periclitentur, acquiſitaeque ſcientiae dexteritatisque exhibeant documentum: Cl. Auctor ex aliquot annis hunc in finem regnum vegetabile, quatenus ſapientiam prouidentiamque ſummi creatoris teſtatur, breuiter expoſuit. Vberrima vero rerum proponendarum copia, quum vnica diſſertatione comprehendi non poſſet, Cl. Auctorem cogit, eam per partes abſoluere et ſingulas ſingulis deſignare annis. Ex quinque itaque, quas accepimus et modo indicauimus, partibus ſumma nunc breuiter perſtringamus capita. In prima diſſertatione generalem tantum plantarum conſiderationem Noſter inſtituit, vbi praecipue creationem, conſeruationem, incrementum, varias functiones, tandemque propagationis negotium earundem enumerat, et ex admiranda ſtructura vegetabilium omnipotentiam diuinam demonſtrat. Maximam vero huius diſſertationis partem explet nutritio et propagatio plantarum. Cum autem in his rebus explicandis omnis interna ſtructura vegetabilium fuſius enumeretur, prolixiori repetione rerum ſatis ſuperque cognitarum ſuperſedemus, et ad reliquas diſſertationes

nes progredimur, quae practicam phytographiam ſacram declarant, et in quibus ampliſſimos vſus plantarum, luculentiſſimos venerandae Dei prouidentiae teſtes eſſe, comprobare Auctor adniſus eſt. In priore ergo parte practica vſus plantarum in alendis hominibus animalibusque declaratur. Plantas inter omnia corpora naturalia copioſiſſimum aptiſſimumque nutrimentum praebere, tum ex mira earum multitudine, tum ex mixtione humorum, facile cum animalium humoribus aſſociandorum, adfirmat. Varias mutationes, quibus vegetabilia in diuerſis praeparationibus magis emendantur, quo eo praeſtantius homini ſuppeditent alimentum, enumerat, cumque non ſolum cibus ex plantis deſumatur, verum etiam ſaluberrima exinde potus genera praeparentur, de iis quoque Cl. Auctor agit, et ſummi largitoris prouidentiam, hominibus ſuccum betulae, vuarum, aliorumque fructuum horaeorum indulgentiſſime concedentem, veneratur. Itaque, quo inſignis copia vegetabilium, quibus homines veſcuntur, eo melius cognoſcatur, catalogum plantarum, tum victui et potui, tum condimento inſeruientium, ſecundum ſyſtema Linnaeanum adiecit. In fine huius diſſertationis magnam Dei ſapientiam ex eo probat, quod cuilibet loco ſuae indigenae plantae conceſſae ſint, ita, vt nullum ſolum, clima, et anni tempus ſit, quo non homines quasdam alimentares inueniant plantas. Coronidis tandem loco de victu brutorum ex vegetabilibus exponit; quantaque ſit plantarum copia, animalibus pabulo inſeruientium, ex inſigni numero animalium inter ſe quam maxime diuerſorum, quorum pauciora carniuora ſunt, comprobare ſtuduit. In ſecunda parte practica phytographiae ſacrae benigniſſimi numinis prouidam ſapientiam, ex vſu plantarum medico cognoſcendam, Cl. Auctor manifeſtat. Et

quo

quo ampliſſimus ille vſus, quem vegetabilia in reſtaurando corpore aegroto exſerunt, eo melius intelligatur; placuit Noſtro virium vitae in corpore animali praeſentium ſcrutinium praemittere, et exinde generalem medicamentorum operandi rationem explicare. Plantas locupletiſſima maximeque congrua medicamina exhibere, tum ex mirifica multitudine vegetabilium, tum ex diuerſa eorum indole, maxime diuerſum effectum exſerente, adſirmat. Conſiderat vero hanc medicamentoſam plantarum virtutem, quatenus vel in diuerſis plantarum humoribus ſponte profluentibus, vt reſinis, balſamis et gummatibus, latitat, vel quatenus artificioſa manu, varia praeparatione pharmaceutica et chemica, inde elicitur. Omnium horum agendi modum, variumque effectum, pro diuerſa eorum tum externe, tum interne adplicandi ratione, variaque eorum humorum mixtione, ſapore, odoreque diuerſo ſeſe manifeſtante explicat. Denuo etiam methodo Linnaeana catalogum plantarum medicamentoſarum exhibuit Auctor, in quo ex conuenienti charactere externo plurium generum ad qualitates earundem ſimiles concludi poſſe autumat. Earum quoque, quibus ſpecifica quaedam virtus a nonnullis adſcribitur, mentionem fecit, et ex omnibus tandem concludit, remedia ex vegetabili regno petita omnium eſſe conuenientiſſima. In tertia parte practica phytographiae ſacrae vſum plantarum in veſtiendo corpore Cl. Auctor declarat. Perplura licet ſint vegetabilia, e quibus materia pro tegendo, fouendoque corpore noſtro praeparari poteſt, praecipuas tamen plantas iuxta ſyſtema LINNAEI Noſter recenſet. Eadem quoque occaſione ſecundariam vegetabilium vtilitatem in arte tinctoria commonſtrat, qua veſtes, ex plantarum partibus praeparatae, maiorem adhuc in varietate colorum acquirunt

runt gratiam, indeque eo luculentius de benignitate ſummi Numinis teſtantur, quae curauit, vt ex vegetabilibus non ſolum veſtes ad fouendum corpus, verum etiam ad ornatum ei conciliandum, praeparentur. Quarta tandem pars de vſu plantarum in calefaciendis hypocauſtis exponit. Cum tantus ſit vegetabilium numerus, quae alendo igni inſeruiunt, ea in arbores et frutices Auctor diſtinxit, eorumque in Heluetia ſponte creſcentium catalogum dedit, variorum lignorum diuerſam indolem et denſitatem disquiſiuit, et de parſimonia in comburendis lignis ita egit, vt modum indicaret, quo parua ligni quantitas maximum calefaciendi effectum praeſtet, ſi nimirum lignum in minora fruſtula diſſecatur, quo aer, flammam excitans, vndiquaque ad ſuperficiem eorundem, maiori fornacis ianua clauſa, per minora foramina accedat, et ſi flamma, antequam in caminum pellitur, prius per communicantes ductus, nullos tamen acutos angulos facientes, longo itinere circumducitur. Quibus enarratis, turfarum geneſin ex congeſtis, emortuis, humidisque vegetabilium partibus, analyſin chemicam, ſummumque earundem vſum demonſtrat, lignorum ſubterraneorum et carbonum mentionem facit, tandemque concludit, plantas et in tutela aduerſus frigus vberrimam cuique ſuppeditare occaſionem, benigniſſimi numinis indulgentiam pia mente venerandi; ſimulque promittit, proxima diſſertatione, ſe vſum plantarum in exſtruendis aedificiis, corpusque humanum variis oblectamentis afficientium, ſimili ratione eſſe comprobaturum.

XXI.

A new and accurate Syſtem of Natural Hiſtory; containing I. the Hiſtory of Quadrupedes; II. of Birds; III. of Fiſhes and Serpents; IV. of Inſects; V. of Waters, Earths, Stones, Foſſils and Minerals; VI. of Vegetables; by R. BROOKES. M. D. London, printed for I. Newbury. 1763. 8. Vol. I. p. 374. tab. aen. 21. Vol. II. p. 460. tab. aen. 27. Vol. III. p. 408. tab. aen. 24. Vol. IV. p. 365. tab. aen. 23. Vol. V. p. 364. tab. aen. 20. Vol. VI. p. 437. tab. aen. 22.

i. e.

Nouum et accuratum ſyſtema hiſtoriae naturalis; continens I. Hiſtoriam quadrupedum, II. auium, III. piſcium et ſerpentum, IV. inſectorum, V. aquarum, terrarum, lapidum, foſſilium et mineralium, VI. vegetabilium, Auctore R. BROOKES. M. D.

Niſi propoſitum eſſet nobis, de quibusque maioribus operibus, quae ad rem medicam et hiſtoriam naturalem pertinent, referre ad Lectores noſtros, plane praeterire hoc Cl. BROOKES ſyſtema potuiſſemus. Nam, ſi librum ex ipſa Auctoris profeſſione, quam in titulo deprehendimus, iudicemus, ſententiam non admodum fauentem de hoc inſtituto ferre poſſemus. Neque enim libro *ſyſtematis* nomen, nec nouitatis diligentiaeque laudem concedere poſſumus. Etenim probare non difficile foret, ordinem ſyſtematicum nullum ineſſe, res autem deprehendi ab aliis non ignoratas, nec in eo, quod dictum eſt, ſatis diligentiae adhibitum eſſe. Ordines enim et genera animalium plane non in

ſyſte-

ſyſtematicum ordinem digeſta ſunt, ita vt v. c. homo medium inter ſimiam et felem locum acceperit, et quod ad ſpecies attinet, eae nullis ſyſtematis regulis obſeruatis enumeratae ſint, vt ab Auctoribus aliis petitae erant. Synonyma nulla collegit Auctor, neque diuerſa a variis ſcriptoribus vni eidemque corpori data nomina inter ſe comparauit, vnde factum eſt, vt ſaepe eadem res bis aut ſaepius ſub aliis nominibus redeat. Figurae aeneae vel ex aliis Auctoribus deſumtae, vel ſatis ruditer expreſſae ſunt.

Continet primum volumen quadrupedum, amphibiorum, ranarum et lacertarum hiſtoriam. In praefatione Auctor hiſtoriae naturalis ſcriptores taxat, et de ſuis circa hoc ſtudium meritis gloriatur: certiſſime, quidquid etiam alii de ſuo libro iudicent, hoc ipſi laudis deberi, quod diſciplinam hanc in meliori ſtatu reliquerit, ac repererat eandem. Inter quadrupeda propoſita commemorauit aliquam ſpeciem, quae ad bouinum genus ab eo refertur, et quam bouem ſuillum (*Beeue Hog*) dicit. Hoc animal, in Angliam ex India orientali deportatum, monſtratum eſt cupientibus. Magnitudinem aſini habebat, quem tamen latitudine et craſſitie ſuperabat. Color eius lacteus erat, cutisque non pilis ſed ſetis, vt ſues, tecta erat. Cauda aſini caudae, caput vero ſuillo quodammodo ſimile erat, habebat tamen cornua duo introrſum verſa. Alio loco aliud animal *Sucotario* ab Auctore dictum occurrit, quod certe ad fabuloſa referendum eſſe videtur. Inter animalia, quae ad caninum genus pertinent, occurrunt etiam phoca, manati aliaque amphibia phocae affinia.

Praef. p. 14.

T. I. p. 38.

p. 105.

p. 197.

Secundo tomo de auibus agitur. Atque in hiſtoria auium, quae cantu inprimis inſignes ſunt, paſſim modum nutriendarum earundem propoſuit. Adiecit epitomen hiſtoriae auium, ex Linnaeano ſyſtemate deſumtam, ſuo tamen more nomina LINNAEI

NAEI non cum iis, quae ille ipſe antea dedit, comparauit.

Tertium volumen non piſces et ſerpentes tantum, ſed et teſtudines, cruſtacea atque conchylia, continet. Quarto inſecta proponuntur. Erucas ſingulatim, non in papilionum hiſtoria deſcribit. In fine aliquae de inſectis Indiae occidentalis, apibus, cantharidumque et formicarum vſu medico, adiectae ſunt obſeruationes. In initio quinti voluminis aquae minerales in Anglia reperiundae breuiter recenſentur. Tunc de mineralibus agit, maximeque eas, quae ab aliis ſcriptoribus, qui Angliae foſſilia illuſtrarunt, collectae iam ſunt obſeruationes, proponit. A quibus ducibus quoties relinquitur, ſtatim intelligimus, delabi ipſum in errores, aut breuem admodum eſſe. Exempli loco illa capita adducere ſufficiat, in quibus de mineris in ſpecie agit.

Vegetabilium hiſtoria ſextum volumen explet. Non tamen omnes plantas, ſed eas tantum proponit, quae ob vſum medicum vel oeconomicum inſignes ſunt. Primum caput exoticas plantas continet, quae ſecundum partes, quae adhiberi ſolent, diſpoſitae ſunt. Sic enim de radicibus, corticibus etc. agit. Plantae indigenae alphabetico ordine proponuntur. Praemiſſa eſt huic volumini breuis introductio, in qua de botanices ſtudio in vniuerſum agit, ſyſtematicumque ordinem plane reiicit. *Cicutam* vllum in Anglia aegris attuliſſe fructum, negat.

XXII.

Diſſ. inaug. de rubro ſanguinis colore. Praeſ. BALTH. IOH. DE BUCHWALD, Prof. P. O. in Acad. Hafn. et Dec. Fac. Med. Reſp. *Nicolao Niſſen Storm.* Hafniae, 1762. 4. pl. 6½.

Elegans haec et multo cum ſtudio conſcripta diſſertatio multa continet omnino digna, quae Lectoribus noſtris breuiter indicentur. Agitur vero in ea primum de ſanguine, eiusque colore in genere, deinde de cauſſa ruboris ſanguinis, tum de mutatione coloris ſanguinis a cauſſis externis, tandemque de mutatione coloris ſanguinis a cauſſis internis.

Ruber color conſtanter inhaeret ſanguini, dum integer manet, perit vero, quam primum ſanguinis compoſitio deſtructa eſt, vt itaque in partium, ſanguinem conſtituentium, combinatione omnino ruboris cauſſa poſita ſit. Cum vero rubor in ſanguine p. 10.
eam naturam habeat, vt a variis cauſſis externis vel clarior vel obſcurior fiat, in examine cauſſarum rubri huius coloris probe diſtinguendae ſunt eae cauſſae, quae ruborem ſanguinis viuidiorem tantum reddunt, a cauſſis, quae rubrum colorem ipſum producunt. Quapropter ii errant, qui cauſſam ruboris ſanguinis in aere, per pulmones recepto, in nitro aereo, vel in denſitate globulorum quaerunt, cum hae res omnes viuidiorem quidem colorem ſanguinis reddere, neutiquam tamen ruborem ipſum producere valeant. Licet quoque videri poſſit, eos, p. 15.
qui ex mutationibus coloris variorum corporum inter ſe mixtorum, v. c. ſulphuris et alcali etc. ruborem ſanguinis explicare tentant, propius ad veritatem accedere, tamen re paullo accuratius exami-

nata, apparet, hypotheſes eas minus firmis niti fundamentis.

p. 17. Aliam itaque viam Noſter ingreditur, atque ruboris ſanguinis cauſſam in ferreis particulis ſanguini admiſtis ponit. Ita vero hac in re demonſtranda verſatur, vt primo ex chemia ſupponat, metalla omnia et ſemimetalla, ſolo zinco excepto, tingendi facultate gaudere, ex his vero ferrum rubrum colorem vt plurimum producere, ita, vt quo plures particulae eiusdem pigmento inſint, eo ſaturatior color fiat, et vice verſa. Coloris vero rubri quatuor ſpecies exiſtunt, *ſcarlatinus* ſcilicet, *purpureus*, au-

p. 20. *rantius* et *obſcure ruber*. Hic vbi ſaturatior eſt, paullulum ad nigredinem accedit, exaltatus vero ſcarlatino ſimilis fere euadit. Atque haec ruboris ſpecies ferro propria eſt, et ab eo vt plurimum, ſi aliis particulis commiſcetur, producitur. Ipſa vero ſanguinis rubedo ad hanc ipſam ſpeciem referenda eſt, quapropter cum martiales particulae, vti ex chemico examine patet, ſanguini inſint, et ſanguis pro diuerſa particularum mixtione maiorem vel minorem gradum ruboris oſtendat, iam analogiae ductu concludere licet, ruborem ſanguinis a particulis martialibus cum oleoſis intime mixtis pendere.

p. 23. Cum vero in ſanguine ex vena fluente et virga agitato fibroſae membranulae generentur, omnis ruboris expertes, ac alia rubra pars remaneat: Noſter fibroſam et rubram partem ſeorſim cum nitro fixo calcinauit, atque ſolutioni reſiduae, aquae ope extractae, ſolutionem aluminis admiſcuit, eo euentu, vt in fibroſa parte nulla martis veſtigia detegeret, ex rubra vero coeruleum Berolinenſe oriretur.

p. 26. Porro etiam deſtillatione vſus vidit, in fibroſa parte ferrum nullum eſſe, ſed tantum partes eiusmodi, ex quibus ſal vrinoſus producitur, et oleoſas cum pauca terra apyra: contra in parte rubra deprehendi

hendi, praeter easdem ſubſtantias, quoque terram martialem, cui differentia coloris in vtraque parte obuia omnino tribuenda eſſe videtur.

Tertia diſſertationis huius ſectio de mutatione ſanguinis a cauſſis externis agit. Explicat vero Noſter in ea varias illas coloris mutationes, quas ſanguis e vena miſſus ab admixtis peregrinis aliis experitur, quibus ſcilicet ſanguinis rubedo vel exaltatur vel obſcuratur. Rubedinem vero ſanguinis viuidiorem reddit aqua, conquaſſatio, et immediata aeris liberi in ſanguinem actio, vti inprimis experimentis Cl. CIGNA patet *). Aer enim, in ſuperficiem coaguli penetrans, particulas, ad quas pertingit, ſubtiliores reddit, et longius a ſe inuicem remouet, atque huic idem praeſtat, quod aqua, qua ſanguis diluitur, praeſtare ſolet. E contrario ſanguinis colorem obſcuriorem reddunt quies, qua particulae cruoris inter ſe arctius coeunt, ſeri ſeparatio et actio ignis vel aquae feruentis, quae ſanguinem cogit. Progreditur porro Cl. Auctor ad varias illas mutationes, quae in ſtatu ſano in colore ſanguinis ſunt, et ex iis, quae hactenus dicta ſunt, cauſſam diuerſi coloris ſanguinis arterioſi venoſique explicat, tandemque varia experimenta, quae ipſe circa actionem ſalium variorum in ſanguinis coagulum inſtituit, enarrat. p. 29.

In quarta ſectione de mutationibus coloris ſanguinis a variis morbis diſputat. Cum ſanguificatio a cordis et vaſorum actione pendeat, ea ipſa actione laeſa vario modo mutatur ſanguinis color in morbis. Has mutationes breuiter conſiderat, et ex auctoribus exempla varia collegit, quo appareat, quanti in morborum cognitione momenti ſit coloris ſanguinis e vena miſſi attenta obſeruatio. p. 42.

*) vid. Comment. Vol. VIII. p. 591. ſeq.

XXIII.

SIMON PALLAS *Prof. der Chirurgie bey dem Königl. Preuſs. Collegio Medico-Chirurgico und erſten Wundarztes beym Charité-Hoſpital zu Berlin, Anleitung zur practiſchen Chirurgie, zum Gebrauch ſeiner Zuhörer bey ſeinen jährlichen Wintervorleſungen heraus gegeben. Berlin bey G. A. Lange.* 1763. 8. Alph. 1. pl. 1.

i. e.

Inſtitutiones chirurgiae practicae in vſum auditorum publicatae. Auctore SIMON PALLAS.

Cel. ille Berolinenſium Chirurgus, vti ex titulo libelli iam patet, breuem delineationem hic Auditoribus exhibet, cuius ductu operationes chirurgicas quotannis demonſtrare ſolet. Eo vero vtitur ordine, vt primo, breui introductione praemiſſa, de abſceſſibus et modo eos aperiendi, vulne-
p. 49. ribus in genere, ſuturisque agat. Occaſione ſuturae intortae ſimul quoque de operationibus chirurgicis, quae in facie inſtitui ſolent, v. c. labio leporino etc. diſputat. Deinde vulnera abdominis et gaſtroraphiam, poſtea thoracis vulnera et empyematis operationem conſiderat. Porro ad caput adſcendit, et de eius vulneribus, ac trepanatione diſſerit. Tum ad collum deſcendens de angina in genere, atque bronchotomia vulneribusque colli in vniuerſum verba facit. Tunc narium morbos, fiſtulam lachrymalem, cataractam, cancrum in vniuerſum et mammarum morbos examinat, operationesque chirurgicas explicat. Adiicit fiſtulam ani, hernias, paracenteſin, operationem hydroceles, caſtrationemque. Sequuntur viarum vrinariarum morbi,

morbi, retentio vrinae, catheteriſmus et peritonaei punctio, tandemque calculus veſicae et lithotomia. Agit deinde de paronychia, aneuryſmate, amputatione extremitatum. Finemque operis phimoſis, paraphimoſis, amputatio penis et operatio caeſarea faciunt.

In vniuerſum autem ea, quae tironibus ſcitu neceſſaria ſunt, illosque ad operationes feliciter inſtituendas ducunt, breuiter quidem, ſed bene, hic proponuntur, ita vt non tironibus tantum, ſed et aliis, libellus hic omnino commendandus ſit. In cataractae operationis hiſtoria tantum de depreſſione diſputatur, extractionis vero deſcriptio deſideratur. p. 292.

XXIV.

De morbo mucoſo liber ſingularis, quem nuper ſpeciminis inauguralis loco ediderunt IOANNES GEORGIUS ROEDERER, D. Archiat. Reg. Med. Anat. et Art. obſt. P. P. O. etc. et CAROLUS GOTTLIEB WAGLER, D. Theatri anatom. Gotting. nuper Proſector, Soc. Reg. Scient. Gotting. a Commerc. literar. adſcriptus. Goettingae, apud Victorinum Boſſigelium. 4. Alph. 1. pl. 4. cum tab. aen. III.

Obſeruationes huius morbi epidemici coniuncto ſtudio Cl. ROEDERERI et Cl. WAGLERI collectae ſunt, elaborationem vero huius operis tantum WAGLERO debemus, qui iam anno 1762 hoc edere incepit, attamen anno 1765 demum id confecit. Tres ſectiones conſtituunt hanc diſſertationem, morbi mucoſi generaliora, eius ſpecies atque hiſtorias declarantes.

p. 1. *Sectio prima morbi mucosi generaliora* tradit. Epidemiarum generalis ratio maximopere ab aere pendet, saepe contagiosa fit, saepe in alium morbum transit. Epidemia enim dysenterica, quae anno 1760 ab augusto ad nouembrem vsque grassata est, cui saepe accessit febris vel erratica, vel acuta, vel maligna, et morbum vel leuiorem, vel grauiorem reddidit, vel in febrem lentam mutauit,
p. 9. tandem in morbum mucosum transiit. Ex statu aeris et tempestatum, a iulio 1760 vsque ad septembrem 1761 obseruato, quem hic recenset Cl. Au-
p. 15. ctor, constitutionis epidemicae singularis ratio, cum morbis cognatis et coaeuis, a iulio 1760 ad hiemem 1761 et 1762 vsque, magis declaratur. Etenim febres intermittentes, iulio 1760 grassantes, sensim excitabant hydropem, vel dysenteriam. Infantes septembri laborabant diarrhoea cum tussi; octobri intertrigine, cum exulcerationibus cutis, scabieque saepe lethali; nouembri intertrigine cum aphthis, tandem accedebat epidemia mucosa, sensim increscens, ac ianuario varia producens symptomata, vt gingiuarum dolores cum aphthis, intertriginem gangraenosam, ophthalmiam, rhachitidem cum phthisi abdominali; februario haec mutabatur in febrem biliosam, interdum putridam; martio in febrem petechialem, inflammatoriam, postea in icterum; aprili in febres intermittentes vernales benignas; mense maio febris mucosa transiit in intermittentem veram; aestate in gelatinosam, tandem in varioloſam; auctumno redierunt febres intermittentes, sed peioris erant indolis, quam vernales; hieme 1761-1762 saeuierunt variolae, pleuritides et peripneumoniae, nondum deletis morbi mucosi vestigiis.
p. 19. Perpensa postea cognatione dysenteriae et morbi mucosi, ratione sedis, ortus, symptomatum essen-
p. 20. tialium, nec minus vtriusque morbi analogia cum febri-

febribus intermittentibus explicata, et morbi mu- p. 25.
coſi cognatione cum ſcorbuto disquiſita, Cl. Auctor
cauſſas morbi mucoſi examinat. Epidemica aeris p. 26.
conſtitutio ac tempeſtas humida ſunt eius cauſſae
vniuerſales; viſcerum varia valetudo chronica et
procliuitas ad febres intermittentes vel naturalis,
vel acquiſita, ad praediſponentes cauſſas pertinent;
diaetae errores, victus durus obſtruens, panis pe-
nuria, vſus carnium corruptarum, defectus victus
vegetabilis, potus ſpirituoſus, aqua impura, immun-
dities, exhalationes cadauerum atque carbonum,
inopia ligni, frequentia hominum, et noſocomia,
fuerunt cauſſae occaſionales remotiores; propiores
proficiſcebantur ab animi affectibus, commercio
cum aegris, morbis chronicis, vulneribus. Natura p. 31.
et formae morbi mucoſi ita ſe habent, vt vberior
adſit muci ſecretio in omnibus folliculis, ac ſaepe in
ventriculo et duodeno muci lacunae, iconibus hic
illuſtratae, conſpiciantur, totumque hepatis paren-
chyma ſit acinoſum, vti ex icone adiecta apparet.
Ab hoc vitio hepatis et bilis inertia oritur morbus
ſimpliciter mucoſus, qui accedente acredine vermi-
noſus redditur; congeritur bilis in inteſtina et ſen-
ſim producit morbum bilioſo-mucoſum, eumque,
ibi putreſcens, in putrido-mucoſum mutat. Inter-
dum in hac epidemia acceſſit inflammatoria indoles,
quae putredinis vi morbum, ex inflammatorio, re-
ſolutorio, et mucoſi veſtigiis reſiduis mixtum, ſaepe
ad petechias procliuem fecit. Tranſiit morbus p. 35.
mucoſus vel in morbum epidemicum lymphaticum
et gelatinoſum, non in ſingulis tantum aegris, ſed
in ipſius etiam epidemiae decurſu, vel critice ad
pulmones ſe conuertit in variis aegris, epidemia
vero ipſa partim in variolas, partim in pleuritidem
et peripneumoniam tranſiit.

p. 38. *Sectio ſecunda morbi mucoſi ſpecies* exponit, quarum inprimis quatuor primariae ſunt, *chronica*, acu-
p. 40. *ta*, *lenta*, *acceſſoria*. *Prima morbi mucoſi ſpecie chronica* affecti appetitum amittunt, plurimi reiiciunt vermes ore et aluo, mortuos, raro viuos, inter quos, praeter lumbricos, peculiare genus obſeruauit Cl. ROEDERER, quod, propter caudam capil-
p. 41. larem, *trichuridum* nomine deſcripſit. Duae inprimis earum ſunt ſpecies, *recta*, aſcaridibus ſimilis, excepta cauda et mole, alba, flaccida, et *curua*, in lineam ſpiralem contorta, cinerea, rigida, elaſtica; vtraque ſpecies icone adiecta ſiſtitur. Cum trichurides ſemper in coeco commorentur, et nunquam BAUHINI valuulam transgrediantur: vix, vti lumbrici, qui inteſtinis tenuibus inhaerent, per os reiiciuntur. Vermes quidem non morſu aut vellicatione nocent, cum rictu et organis mordentibus non inſtructi ſint, ſed potius, vti Cl. Auctor putat, ſola irritatione ad inflammationes diſponunt, nutrimentum corpori detrahunt, inteſtina obſtruunt, ſaepe febriculam excitant, modo nocturnam et matutinam, modo ephemeram, anomalam, quam ſol-
p. 47. uit varia criſis. Haec prior ſpecies morbi mucoſi ſoluitur excretione mucoſa vel purulenta critica, vt diarrhoea mucoſa, tuſſicula humida cum reiectione muci, vomitu mucoſo, fluore albo, catarrho narium, exanthematibus, vlceribus oris, aphthis, vermium excretione, cet. Vomitoria, inprimis nauſeoſa, maxime ſunt adhibenda; ſtimulantia nocent. Mercurium viuum, ſaccharo ſubactum, nec minus mercurium dulcem cum camphora mixtum, ſi febris leuis erat, cum vtilitate dedit Cl. Auctor. Methodus antidyſentericae analoga in omnibus huius morbi ſpeciebus maxime efficax fuit, ac ſuadenda.

Transiit vt plurimum morbi mucoſi ſpecies pri- p. 50.
ma in *ſpeciem ſecundam*, *febrilem*, vel benignam, vel
malignam. 1) *Febrem mucoſam benignam*, quae
graui incipiebat horrore, comitabatur ſitis ingens,
dolor capitis, appetitus laeſio, conatus vomendi,
alui obſtructio, tuſſis ſpaſtica, ſicca; ſanguis e vena
miſſus cruſta alba obtegebatur, reſpiratio difficilis
erat, vires deprimebantur, accedebant deliria, exco-
riatio oris interni, aphthae. Febris mucoſa acuta, p. 54.
et benigna, et maligna, plurimis excretionibus criti-
cis imperfectis ſoluebatur, inprimis ſudoribus no-
cturnis acidis, vomitu mucoſo, bilioſo, vrina alba,
muco graui, ramentoſo, flauo inquinata, vlcuſculis
aphthoſis linguae, gingiuarum tumore, puſtulis, in
variis partibus erumpentibus, iisque interdum ſca-
bioſis, interdum diarrhoea mucoſa; nonnunquam
ſeptimo vel vndecimo die febris regrediebatur, ac
ceſſabat haemorrhagia narium, diarrhoea, ſedimen-
to lacteo vrinae, pedum oedemate. Saepe critico
modo alius producitur morbus, v. c. icterus, artuum
dolores vel tremores, raucitas, ophthalmia, aſcites,
cet. Si criſis externa non accidit: vlcus vel ſcirrhus
pulmonum, vel peripneumonia inteſtinorumue gan-
graena aegros interficit. Tum requiruntur eua- p. 57.
cuantia lenia, omittatur venaeſectio, dentur ea re-
media, quae in dyſenteria ſolent adhiberi, in-
primis laxantia cum opiatis iuncta, demulcentiaque
nauſeoſa, vt mannata et oleoſa cum ipecacuanha;
minus commendanda ſunt in hoc morbo rheum,
reſoluentia ſalina, antimonialia, mercurialia, cet.
Camphora tum optime exſerit vim anthelminticam,
antiſpaſmodicam ac diaphoreticam; ab antiphlogi-
ſticis, nitroſis, acidis, inprimis mineralibus, mor-
bus augetur. Veſicatoria, clyſmata demulcentia,
cortex Peruuianus, extracta amara, et reliqua robo-
rantia ſemper vtilitatem inſignem attulerunt.

p. 61. 2) *Febris mucoſa recidiua* oritur ex vitio viſcerum, vel neglecta diaeta, vel vermibus, qui rurſus ad duodenum et ventriculum ſe conferunt.

p. 63. 3) *Febris mucoſa acuta maligna* duplicem ſpeciem conſtituit, alteram *bilioſam et putridam*, alteram *benignam impuriorem*, et *febris acuta verminoſa* inter vtramque ſpeciem medium occupat locum. Quippe quae ſimili modo, vt morbi caſtrenſes, loca impura, pauperum tabernas, inprimis noſodochia inuaſit, adultos praeſertim afficiens, incerto ceſſans tempore, et aegros plerumque vel gangraena necans abdominali, vel peripneumonia, interdum phthiſi. Graues artuum dolores huic morbo mucoſo maligno proprii ſunt, praecedente laſſitudine,

p. 67. pica, moerore. a) *Febris mucoſa acuta maligna bilioſa, putrida, ſoporoſa* ſubdolum ſemper initium habet, languent aegri, ſentitur dolor capitis cum vigiliis, ſitis, vomitus mucoſus, bilioſus, dolores artuum, virium proſtratio, alui obſtructio; quarto die criſis praecipitata, v. c. haemorrhagia narium, diarrhoea, vrinae ſedimentum, cet. morbum ad tempus lenit. Irruit vertigo, delirium, erumpunt petechiae rubrae, niſi frequens ſit diarrhoea, franguntur vires, reſpiratio anxia eſt, donec die vice-

p. 72. ſimo primo morbus lenta criſi ſuperatur. b) *Febris mucoſa, acuta, maligna, inflammatoria* curari ſolebat, ſi die ſexto petechiae erumpebant, vel delirium aut furor accedebat, quem vt plurimum ſequebatur defluxus catarrhalis, ſiue vomitus mucoſus, et vermium eiectio; ſin autem vena non ſecaretur poſt alui obſtructionem, per ſeptem dies perpeſſam, lethalis erat.

p. 77. *Tertia morbi mucoſi ſpecies, lenta*, aggrediebatur plerumque infantes a ſecundo ad decimum quartum annum, eos inprimis, in quibus initio hiemis

p. 78. ſcabies ſuppreſſa erat. Haec vel *leuior* erat, cum parua febri-

febricula et aphthis lactentium, ac diarrhoea, oedemate pedum, aut puſtulis ſcabioſis diſſipabatur; vel *lethalis* in phthiſicis, pauperibus, male nutritis, atque *duplicem* ſiſtebat *ſpeciem, primam,* vbi febris continua longa multo magis conſpicua, et induciae inter hanc et ſequentem febrem lentam magis euidentes, atque aphthae vt plurimum carcinomaticae erant; *alteram,* vbi ſubdola febris longa erat, et leuior apyrexia febrem lentam a febre longa disiungebat, qua inprimis ii afficiebantur, qui ſcabiem ſibi repreſſerant. p. 81. p. 85.

Quarta morbi mucoſi ſpecies, acceſſoria, aliis morbis primariis, et chronicis, et acutis, ſe coniungit, eosque grauiores reddit, vt aegrum vel cito interficiant, vel eum in phthiſin lethalem coniiciant. Si grauiditati accedebat, abortus cauſſa fuit, vel partus praematuri, et puerperae plerumque gangraena abdominali, inteſtinorum, vel vteri peribant, ipſeque foetus, ſemper mortuus, morbo matris affectus conſpiciebatur. Interdum morbus mucoſus cum grauiditate et morbo chronico coniunctus eſt. Illum cum puerperio mixtum eſſe, cognoſcimus ex aphthis mammillarum dolentibus, ſymptomatibus pleuriticis, ſiti, diarrhoea, tumore mammarum, et oedemate pedum. Si vulneribus additur, haec vt plurimum lethalia fiunt, vel febris lenta inducitur, inprimis vulnera abdominalia facile gangraena corripiuntur. Morbus mucoſus cum hydrope coniunctus breui tempore indolem febris mucoſae lentae induit; cum phthiſi mixtus producit oedemata pedum, exanthemata ſcabioſa, aphthas, fluxum ventris colliquatiuum, et ſudores. Si affectui hypochondriaco et colicae accedit, id, quod preſſio zonae coli dolorifica prodit, excretione aluina mucoſa diſſipatur, cui ſubſequitur catarrhus. Si cum malo hyſterico combinatus eſt, ſitis, diarrhoea frequens, p. 88.

quens, animi deliquia, vomitus biliosus, pustulae aphthosae linguae, tussicula, aegros vexant. Malum venereum, cui morbus mucosus accedit, nullis fere remediis tollendum est, sed tandem per phthisin neruosam lethale fit.

p. 95. *Sectio tertia morbi mucosi historias describit. Historia* 1. *de febre mucosa benigna* tractat. Femina enim 40 ann. diarrhoea mucosa chronica cum febre vespertina laborans, incidit tandem in febrem mucosam benignam, cum aphthis oris, et post egressum lumbricum viuum ex ore, vrinae sedimentum mucosum, sudores acidos et diarrhoeam, die decimo
p. 102. quinto conualuit. *Hist.* 2. *de febre mucosa benigna infantis* 11 ann. agit, qui ore eiecit lumbricos, et multis sudoribus, atque vrina sedimento albo mucoso inquinata, intra tredecim dies morbum expulit.
p. 104. *Hist.* 3. *de febre mucosa benigna puellae septennis, cum typo tertiano* differitur, cui accessit vomitus, inflatio abdominis, dolor pungens pectoris, dolor capitis artuumue; sumto emetico febris acerbior facta est, et aphthae eruperunt cum sudore copioso, cui cuata vero materia mucosa flauo viridi per aluum,
p. 107. intra 17 dies sanitatem recuperauit aegra. *Hist.* 4. *de febre mucosa acuta recidiua, in febrem intermittentem quotidianam transeunte* narratur, qua femina 38 ann. vexabatur, post sudores ac vrinam mucosam die
p. 112. decimo tertio plane sanata. *Hist.* 5. *febris mucosa acuta* perpenditur, *quae sanata denuo transit in morbum inflammatorium benignum*, qua vicenaria virgo afflicta est, quae habuit dolores capitis, ventriculi et coli, vomitus seroscs, pustulas, furunculos, vrinam cum sedimento lacteo ramentoso, sed nono die restituta ex diaetae vitio in febrem inflammatoriam incidit, et post similem crisin vrinae lacteae
p. 117. ramentosae 37mo demum die conualuit. *Hist.* 6. mentio fit *de febre mucosa, erratica, cum phaenomenis pleuri-*

pleuriticis similibus, qua puer 12 ann. correptus est. Aderat enim dolor infimi ventris, capitis, pectoris in latere dextro, vomitus mucosus, papillae fungosae linguae, tussis, sputum cruentum, reiecto autem muco crasso per tussim, aeger nono die sanatus est.

In *Hist.* 7. *febris mucosa benigna, cum exanthematibus purpuraceis* describitur, vbi sexto die accedebant dolores thoracis et colici, paulo post aphthae et gingiuarum dolor, salinum laxans vero cum manna, et pulueris salis ammon. et salis mirab. GLAUB. continuatus vsus, aegram die decimo tertio restituerunt. p. 119.

Hist. 8. *febris mucosa ephemera, siue acutissima* iuuenis 23 ann. recensetur, cum doloribus artuum et capitis, siti ingenti, aluo clausa, vomitu mucoso, quem emeticum, emulsio ialappina, et decoctum radicis gentianae quarto die a morbo liberauit. p. 122.

In *Hist.* 9. *febrem mucosam acutam continuam, cum malignitate* virginis vicenariae indicat Auctor, quae simul diarrhoea frequenti, vomitu, et vrina, mucosis, interdum alui obstructione pertinaci, grauiter afflicta, venaesectionibus, vomitoriis, laxantibus et corticis Peruuiani vsu, tandem die 22 conualuit. p. 123.

Hist. 10. *febrem acutam, mucosam, biliosam, sanatam* concernit, qua virgo 20 ann. laborauit, cuius quidem subdolum fuit initium, at sensim accessit tussicula sicca, frequens desidendi stimulus, dolor artuum cum fractis viribus, phantasmata, sudor foetens, aurium susurrus, excretio aluina putrida; die 12mo excrementa mucosa erant, stupor sentiebatur, strepitusque laryngis, sordibus obducebantur artus, atque vlcus in regione ossis sacri et ad trochanterem maiorem oriebatur, donec ope corticis Peruv. vlcera sensim depurata, ac sanitas die tricesimo restituta est. p. 129.

Hist. 11. *febrem mucosam acutam, ex maligna intermittentem* iuuenis vicenarii tradit, qui affectus est vomitu biliosо, doloribus imi ventris, diarrhoea p. 137.

mucoso-

mucoſo-ſanguinea, dyſuria, teneſmo, dolore pungente in thorace, copioſo ſudore, vrina cum ſedimento albo, ac tandem morbus muci excretione

p. 141. per aluum intra 14 dies plane ſuperatus eſt. *Hiſt.* 12. *febrem mucoſam, acutam, inflammatoriam* feminae 34 ann. ſiſtit, magno horrore, vomitu et ſiti incipientem, cum pectoris doloribus pungentibus, inter quos nonnulla catameniorum veſtigia ſe oſtendebant, deliriis grauiſſimis, anxietatibus, reſpiratione difficili; attamen vomitus mucoſae materiae et lumbricorum anxietates ſedauit, ac muci reiectio

p. 144. per tuſſim morbum intra 12 dies ſuſtulit. *Hiſt.* 13. *febris mucoſa ſoporoſa ſanata* quadragenarii commemoratur, in qua ingens fuit ſitis, anxietas praecordiorum, lingua muco albo obducta erat, ſudebatur cum dolore, acceſſit capitis dolor ſoporoſus, vomitus materiae mucoſae, fuſcae, biliosae, ſopores, ſudores, aurium ſuſurrus, ſedimentum vrinae album, furfuraceum; ceſſarunt ſenſim ſymptomata haec, et aeger die 23 rurſus ſanitatem recu-

p. 149. perauit. *Hiſt.* 14. *febris mucoſa ſoporoſa letalis* proponitur viri, 37 annorum, qui doloribus rituum, ſpaſmis lumborum, ſiti magna, dolore capitis inſigni affligebatur, materiamque mucoſam euomebat; accedebant ſenſim linguae ſiccitas, vertigo, phantaſmata, cephalalgia vertiginoſa, dolores inſtar ventris, ſudores, deliria, haemorrhagia narium, anxium ſuſurrus, ſumma debilitas, caligo oculorum, conuulſio artuum ſuperiorum in ſopore, vrina cruda, ſubſultus tendinum, faciei intumeſcentia, ſopor, conuulſiones, ſingultus, et aeger die 14 moriebatur.

p. 155. Tredecim poſtea commemorantur *ſectiones febre mucoſa acuta defunctorum*, e quibus Cl. Auctor notas characteriſticas ſingularum huius morbi ſpecierum detexit. Etenim ſpeciem acutam diſtin-

guit

guit a lenta corpus nondum emaciatum; labes viſceris inueterata ſpeciem acceſſoriam a morbo mucoſo ſimplici dignoſcit. In *ſpecie ſimpliciter acuta* conſpicitur hepatis ſubſtantia diſtincte acinoſa, lien paululum inflatus, inteſtina hinc illincue inflammata, contracta et muco obducta, tenuia lumbricis referta, craſſa trichuridibus. In *ſpecie acuta maligna, putrida*, corpus inclinat in celeriorem putredinem, viſcera vt et cruor in vaſis maioribus reſoluta ſunt, ventriculus et inteſtinum coecum gangraena afficiuntur. *Species inflammatoria* cognoſcitur ex cutis exanthematibus et viſcerum abdominalium inflammatione. In omnibus praeterea cadaueribus erat abdomen ab extrauaſato vel ſero, vel liquore ſanguinolento, magis minusue repletum, glandulae meſaraicae vt plurimum obſtructae, durae, inflammatae aut ſcirrhoſae; hepar plerumque inſigne volumen habuit, et exterius, et in ipſo parenchymate, acinoſum erat; veſicula fellea bile, modo mucoſa, modo tenui, plena; lienis interdum maxime tumidi ſubſtantia reſoluta apparuit, ſaepe maculis albis purulentis referta, nonnunquam gangraenoſa; pancreas induratum; ventriculi ſuperficies, inprimis ad curuaturam paruam, inflammata erat, interdum eius media pars conſtricta, tunica villoſa inflammata, ad pylorum cinerea viſa eſt, craſſa, et folliculis mucoſis planis ac papillis fungoſis obtegebatur. Inter rugas duodeni, muco obducti, plurimi conſpiciebantur folliculi mucoſi, quorum orificia punctis nigris notata erant. Inteſtina tenuia inflammata, materia bilioſa mucoſa, vel lumbricis repleta, hinc illincue gangraenoſa, reperiebantur; in nonnullis voluulus; inteſtina craſſa, quorum tunica interna arroſa eſcharisque obtecta erat, trichuridibus, materiaque atra, tenui, replebantur. In cauo pectoris ſerum plus minusue effuſum erat; pulmones

p. 160.
p. 161.
p. 162.

vt

vt plurimum pleurae accreti, inflammati, purulenti, calculoſi, ſaepe ſcirrhoſi inueniebantur. Glandulae bronchiales nigrae, induratae, magnae; ad bifurcationem tracheae calculi varii haerebant. In trachea et bronchiis muci copia aderat, inflammatio, rigiditas; liquor pericardii rubellus plerumque copioſe adfuit, cordis ventriculi in plurimis polypo referti erant. Glandulae ſaliuales durae et acinoſae; thyroidea dura et inflammata. Trium tabularum aeneārum, quae adiiciuntur, *prima* ſiſtit in figura 1. 2. 3. folliculos mucoſos, in ſuperficie interna ventriculi et duodeni diſſeminatos; in *ſecunda* depinguntur folliculi, qui foueas medias occupant; *tertiae* fig. 1. exhibet ſubſtantiam acinoſam hepatis; fig. 2. eſcharas ad ſuperficiem internam coli ſiniſtri; fig. 3. folliculos in ieiuno; fig. 4. vermis ſpeciem *rectam*, aſcaridibus non diſſimilem, et eiusdem ſpeciem *curuam*, in lineam ſpiralem contortam.

XXV.

Dell' acque di Recoaro e delle regole concernenti il lor uso diſcorſo D'ORATIO MARIA PAGANI d' Arzignano. in Vicenza appreſſo Antonio Veroneſe 1761. 8 mai. pl. 5.

h. e.

De medicatis Recobarii aquis, et methodo iis vtendi diſſertatio, Auctore Cl. PAGANI.

Has aquas acidum minerale ſulphureum ſeu vitriolicum, nec non ferrum et terram calcream continere, et haec principia ea ratione vnita eſſe Cl. Auctor aſſerit, vt nec calore nec aliis admixtis turbentur. Examine chemico autem eliciuntur vitriolum martis et ſal calcareum medium, quod

quod Cl. BECCARI ſeleniticum dicit *). Poſt plenariam euaporationem ochra cum terra calcarea mixta, et tandem haec pura obtinetur; ſi vero quodammodo euaporata ad cryſtalliſationem reponitur, ſal Epſonienſi ſimile (mirabile GLAUBERI) colligitur. Cum etiam aqua per ſtrata carbonis foſſilis tranſeat, bituminoſi quid recipit, ſpiritum tamen mineralem ſubtiliſſimum in ea reperiri negat Cl. Auctor **).

His breuiter expoſitis, ad aquae ſimplicis virtu- p. 10.
tes indicandas ſe confert Noſter, et frigidae inprimis virtutes *diluentes*, *attenuantes*, *corroborantes*, *demulcentes*, *cardiacas* et *anodynas* adſcribit, et has a ferri, ſalis medii et bituminoſis particulis in aquis p. 16.
medicatis augeri oſtendit. Vſum itaque earundem p. 21.
in hypochondriacis et hyſtericis ſpaſmis, in defectu menſium et aliis morbis, in quibus fluida ſpiſſa, vigore ſolidorum ſimul reſtaurato, reſoluenda ſunt, maxime commendat. Licet autem omnes morbos, a Cl. Auctore adductos, repetere nequeamus, vnico tamen exemplo oſtendamus, quo vsque extendat harum aquarum effectus. Illae enim in venerea p. 30.
labe a multis vel inutiles vel noxiae pronunciatae ſunt, Noſter autem maxime ſalutares eas iudicat, cum fluida prorſus immutent, attractiones morboſarum particularum tollant, et circulo humorum libero reddito omnem corruptionem auertant, porro decocta ex guaiaco et ſaſſaparilla et mercurialia medicamenta, quae venereo morbo opponuntur, in actione ſua iuuent.

Dum

*) vid Comment. noſtr. Vol. V. Part. II. p. 307.

**) Experimenta a Cl. IO. ARDUINO facta ſunt. Conf. Nuova Raccolta d' opuſcoli ſcientifici cet. Tom. VI. p. 113. et Comment. noſtr. Vol. X. Part. III. p. 527.

p. 37. Dum ad methodum his aquis vtendi deſcribendam ſe confert, non tantum normam a multis nimis accurate praeſcriptam, ſed et diaetam nimis ſelectam improbat, et eum tantummodo in genere victum diſſuadet, qui cauſſas nouas morborum infert, v. c. nimis rancidum et viſcidum. Quamobrem carnes molles bonae notae, vegetabilia leni aromatica vi praedita, nec non ea, quae cum oleo et multo aceto praeparantur, immo fructus horaeos non reiiciendos eſſe autumat, vſum quoque lacticiniorum in prandio et coena concedit. Vini generoſi moderatum potum et chocoladam et coffeam foeminis etiam tenerioribus, vtpote his aſſuetis, cum vſu aquarum denegari poſſe negat.

p. 58. Tempus his aquis vtendi ad calidam tempeſtatem, inter menſem iunium et ſeptembrem, non reſtringit, ſed in frigidiſſima quoque et humida tempeſtate hauſtas profuiſſe narrat. Et licet conſuetudinis ſit, a duabus libris incipiendo ad ſex vsque, nec vltra aſcendere, oſtendit tamen, morborum rationes ſaepius exigere, vt decem immo duodecim librae hauriantur. Neque vſus eatum tantum quindecim vel viginti diebus definiendus, ſed, dum-

p. 63. modo aegri ferant, vlterius eſt extendendus. Cum etiam alii tenerae aetati vſum aquarum medicatarum non concedant: Cl. Auctor exempla quarundam curationum proponit. In puella ſex circiter annorum, erratica febre, ex vitiis primarum viarum orta, et in infante vnius anni ex ſimili cauſſa aegrotante, aquae hae tanto cum fructu adhibitae ſunt, vt actione viſcerum reſtituta languor penitus diſſiparetur. Et grauidae his vti poſſunt, inprimis illae, quae, licet facile concipiant, ob laxa et imbecillia corpora in abortum maxime proclines ſunt.

Opera-

Operatio autem harum aquarum in primas vias adeo certa eſt, vt inter praeſtantiſſima purgantia referri poſſint, nec opus ſit in eorum vſu alia purgantia medicamenta praemittere aut interponere. Licet enim iis minus prodeſſe aſſerunt nonnulli medici, in quibus non protinus per inteſtina et vrinae vias transeunt, cum particulae admixtae retineantur et noxam corpori afferant: Noſter tamen et per vias, ſenſui non adeo obuias, eas transire contendit. Praecipui nimirum harum aquarum effectus ſunt: aequalis ſanguinis diſtributio, alimentorum facilis elaboratio, lentoris humorum reſolutio, virium corporis inſtauratio et ſpirituum excitatio, excretionum optimus ſucceſſus. Sub finem etiam ſomnum meridianum cum aquarum vſu eodem modo vtilem iudicat, vti refrigerium aeris veſpertini, in quibus omnibus nos mentem Cl. Auctoris indicauimus, iudicium vero de methodo aquis mineralibus vtendi Lectoribus noſtris permittimus.

p. 68.

p. 72.

XXVI.

An Experimental Hiſtory of the Materia Medica, or of the natural and artificial ſubſtances made uſe of in medicine: containing a compendious view of their natural hiſtory, an account of their pharmaceutic properties, and an eſtimate of their medicinal powers, ſo far as they can be aſcertained by experience, or by rational induction from their ſenſible qualities. By WILLIAM LEWIS. M. B. F. R. S. London printed by H. Baldwin, for the Author; and ſold by R. Willock, 1761. 4 mai. 3 Alph. 12 pl. c. praefat.

i. e.

Experimentis illuſtrata hiſtoria materiae medicae ſiue corporum naturalium artificialiumque, quae in medicina adhibentur: continens eorum ſuccinctam ex naturali hiſtoria conſiderationem, proprietatum pharmaceuticarum recenſionem et virtutum medicarum contemplationem, quatenus experientia aut ratione ex qualitatibus euidentibus confirmantur: Auctore GUILIELMO LEWIS.

Quo ordine corpora naturalia in materia medica commode disponi poſſint, in tanta eorum copia et diuerſitate viris doctis ſaepe moleſtum fuit; quare Cl. Auctor ordinem reliquis omnibus praetulit alphabeticum, et res conſiderandas ita propoſuit, vt ad tria primaria ſemper reſpexerit momenta, quae quidem naturalem, medicinalem, et pharmaceuticam concernunt hiſtoriam. Itaque quae praecipue ad naturalem medicamentorum ſimplicium pertinent hiſtoriam, ea ita pro rerum tractandarum ratione exponuntur, vt nomen latinum praemittatur; poſt ea pharmacopoea quaedam, in qua inuenitur, vt Londinenſis, Edinburgenſis, Pariſina referatur; deinde alia quaedam apud Auctores occurrentia citentur nomina, tandemque anglicum tradatur; tum ipſe eorum habitus externus et quomodo ex variis characteribus cognoſci et ab aliis rebus ſimilibus diſtingui poſſint, deſcribitur, terrae regionesque, quae praecipue eiusmodi ſimplex proferunt medicamentum, indicantur, modus colligendi, conſeruandique enarratur, ac ſpecies, ſi plures exiſtunt, notantur. Quae cuncta in rerum ſimplicium deſcriptione tam regni vegetabilis, quam anima-

animalis et mineralis obſeruantur, prouti mox cuilibet ex abſinthii, pulegii, rhabarbari, argenti viui, vitrioli, caſtorei caeterorumque deſcriptione apparebit. Cum vero plura rerum naturalium occurrant corpora, et varia praecipue ex eis producta, quae characteribus externis ſuis non ſatis diſcernenda ex proprietatibus internis ope chemiae aut pharmaciae diiudicari debeant, variis vel ab Auctore ipſo vel ab aliis captis experimentis criteria, quibus cognoſci poſſunt, eruuntur. Hanc quoque ob rationem cum naturali ſimplicium hiſtoria coniungitur pharmaceutica, vtpote qua partes eorum detegunturconſtitutiuae, et quomodo eae variis menſtruis ſolui, ſeparari, iterumque componi, ac cum aliis miſceri, indeque noua mixta praeparari queant, demonſtratur. Horum autem ex ſimplicibus praeparatorum rationem et vſum ita conſiderat et tradit Auctor, vt quae prae reliquis in variis ex variorum auctorum obſeruationibus adhiberi poſſint morbis, referat, prouti exemplo eſſe poſſunt antimonium, nitrum, caeteraque. Hanc excipit ipſa medicinalis hiſtoria, quae in primis vires et effectus medicamentorum in corpore humano explicat ideoque artis ſalutaris pars eſſe videtur primaria; nihilo tamen minus ea, vt olim ob varios errores, ſic noſtris temporibus ob defectum obſeruationum fide dignarum, eſt admodum manca atque imperfecta. Cum enim neque examine chemico, neque charactere aliquo externo, vti in aliis rebus fieri ſolet, ſenſus noſtri determinari certo poſſint, quae ſint medicamentorum vires, vel quo in morbo ea conducant, inde etiam eo maiore cum cautione hic agendum erat. Atque licet multis in rebus, in primis vero in vegetabilibus, ſenſus noſtri, et inter eos guſtus et olfactus, aliquid de eorum qualitatibus demonſtrent, ideoque etiam ex ſapore atque odore quaedam

assumserit Auctor, licet etiam plura ex chemiae pharmaceuticae variis operationibus praeparationibusque cognoscantur, ipsi tamen experientiae hac in re tribuendum erit plurimum. Quare Cl. Auctor cuncta haec contemplatus, primarios medicamentorum annotauit effectus, nec nisi singulares quosdam morbos, vbi vel auxilium afferunt, vel excitant damnum, retulit.

XXVII.

Noua physico-medica.

Regia Scientiarum Academia *Burdigalensis* in conventu, quem nuper die 25 mensis augusti huius anni celebrauit, praemium, quod problemati praeparandae lanae, vt ab insectorum morsu tuetur *) proposuerat, tribuit LAZARO SIEUVI, Mercatori Massilienſi.

De scriptis autem, quae super altero problemate **), quod nouarum plantarum, hominum nutrimento aptarum, inuestigationem inuentionemque exegerat, Academia accepit, nondum sententiam tulit, se vero in proximo conuentu laturam esse declarauit.

Eadem vero Academia consultius duxit, eruditis longius concedere temporis spatium, ad inquirendam et describendam indolem earum quaestionum, quas huic, quem agimus, anno destinauerat. Commentarii quidem de iis traditi sunt Academiae, ita vero conscripti, vt exspectationi eius minus responderent. Terminus itaque, intra quem super vtraque commentarii ad Academiam mitti possunt, nunc prolongatus est vsque ad annum 1768. Alterum problema spectat indolem, praeseruationem et curam morbo-

*) vid. Comment. hor. Vol. IX. p. 697. Vol. XII. p. 165.
**) ibid.

